



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo


Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.


Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.


## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>









Rx Petro Rusino

Dalio sculps

STEPHANI PETIOT

SOC. JESU

PANEGYRICI DUO,

Alter de Rupellâ Expugnata,  
Alter de Delphino.

Quibus in hac novissima editione  
accedunt, Panegyricus

JOH: ANTONII MEDIOBARBI

è Congregat. Som.;

*Nec non Oratio Funebris*

P. CAROLI PORRÉB

Soc. JESU;



Cremonæ, Apud Petrum Ricchini 1719.

*Superioribus annuatiōibus.*


CUM PRIVILEGIO.

*Coll. Cremon: S. I. inscrip. ca*



**C**Autum est per Eccellentissimum  
Mediolani Senatum, ac inhibi-  
tum ad preces Petri Ricchini  
Bibliopolæ, ac Impressoris  
Cremonensis quibuscumque aliis impres-  
soribus, & Bibliopolis, aliisque omni-  
bus & singulis Dominio Mediolani sub-  
jectis, ne hinc ad decem annos ab editio-  
ne presentis libri numerandis imprimere,  
aut imprimi faciant operas in eo conten-  
tas ac alibi impressas in hoc Domi-  
nium importare, aut venales habere,  
aut vendere audeant sub pæna amissionis  
omnium similium librorum, ac avreo-  
rum quinquaginta Reg. Fisco appli-  
candorum pro dimidio, & reliquorum  
prædicto Ricchino, & prout statuit  
ex literis patentibus diei xiv. Aprilis  
M. DCC. XIX. ad quæ &c.





F.

§ \*\*\*\*\* §

# GENETHLIACUS DELPHINO.

**T**riumphate GALLI, plaudite confederati, trepidate hostes, cedite perduelles, fremite barbari: VISITAVIT DOMINUS ANNAM, ET CONCEPIT, ET PEPERIT. Licet enim Oratori Christiano, quibus HEBRÆÆ quondam ANNÆ post cœleste puerperium acclamatum est vocibus, iisdem in communi omnium lætitia, argumento non admodum dissimili, ANNÆ quoque AUSTRIACÆ felicissimo partui gratulari. Non semper eadem cœli facies; jam serenum nubilo conditur, mox tranquillo fœdum mutatur. Post longa sæpessigentis terræ jejunia, erumpit aquarum diluvium; & quæ modò raræ, nunc densæ nubes largissimos imbres effundunt, quibus arva imprægnantur arentia. Annus jam tertius supra vigesimum agebatur, ex quo Christianissimo Regi sobolem conjunctis vocibus precabamur, sed ipsa

A

VOX

## 2 GENETHLIACUS

Vox clamando defecerat; jam exhausta erant omnium vota, cum accisis denique rebus, quasi profuisset ad extremum virium devenisse, ut ad fastigium gloriae conscenderemus, nostra tandem desideria cumulatissimè Deus explevit, fecitque munificentia sua, ne nos, qui paulò ante nihil audebamus sperare, modò quidquam ultra optare possimus. Illuxit enim aliquando dies illa tantò antèa superis destinata, fortunata regno, grata civibus, exteris splendida, optata bonis, invisè perfidis, nulli certè expectata, quæ regia nos prole donavit, ac proindè nemo non videt quantæ à nobis Deo referendæ sint gratiæ, cum non minùs turpe sit beneficii auctorem dissimulare, quàm ipsius beneficii penitùs oblivisci. Accedit præterea gaudii seges immensa; nam si quando plebejæ, vilique familiæ nova proles adii-citur, par est unumquemque lætari: statuite præcor, ubi non terræ filius aliquis de vulgo, sed augustus infans de regio sanguine, isque non post alterum, sed primus; nec paucis mensibus, sed plurimis post matrimonium annis nascitur, quanta omnium animos lætitia incessere debeat. Cæteri quippe liberi nascendo fortiuntur humilem plerumque fortunam, vel certè mediocrem, in hunc terrarum orbem quasi projecti, ne vacuus relinquatur; tenui sub lare vivunt, parentibus ad-

diti

## DELPHINO. ♦

ditum ad laborem, à quibus denique non tam opum, quam miseriarum relinquuntur hæredes: Regum autem Filii ipso ortu splendidissimi statim consecrantur imperio, ut postmodum fata hominum tractent, inter quos sedent ut Patres, eminent ut Soles, coluntur ut Numina. Atque illud habet præterea Princeps Gallia singulare, quod ubi DELPHINUM suscipit, simul Ecclesiæ destinatur PRIMO GENITUM FILIUM Potentissimum, fidei defensorem, firmissimum Evangelio columen, orbi demum universo è Christianissimis illis Regibus unum, quos nescio plus gentes verè Catholicæ venerari soleant, quàm avitæ religionis hostes ubique pertimescant. Quæ si omnia scribendo persequi velim, quemadmodum nullis hoc beneficium terminis clauditur, ita finem nullum hæc oratio sit habitura: modus tamen adhibendus est aliquis, si minus gaudio, ac certè stylo, in quo sanè non labor exiguus. Quid enim mihi assumam ex tam ampla rerum sylva? quid primum instituiam? quid postremum? Dicam civium acclamations, & plausus? offerunt se mihi gemitus hostium. Galliam prædicem? Deus gratias reposcit. Finitimorum Principum gratulationes, & officia referam? DELPHINUS noster mihi salutandus occurrit. Hujus ego dignum imperio vultum describam? quaeritis

## 7 GENETHLIACUS

Etis audire, quæ passim de eo feruntur præfagia. Ita non habeo quid dicam, ubi tanta est dicendi materies. Quid? Duo certè, quæ hoc ex Natali præsertim effulgent, præterire non debeo, scilicet regie domus gloriam, & Galliæ totius felicitatem, quæ breviter hac oratione perstringã; & de multis pauca, sed pro meis viribus multa. Præsertim cùm unus omnia complecti noluerim, ne subirem eorum invidiam, quos in partem gloriosi laboris venturos esse confido: nec non mihi metuendum foret, ne cum cæteræ Galliarum Provinciæ ad regias DELPHINI cunas officiosæ, & venerabundæ certatim accedunt, si longius morarer, seriùs mea se sisteret Aquitania, & ad obsequium procederet extrema, quæ prima videtur imperio.

Magna fuit semper conjugibus cupiditas prolis, quòd hæc nuptiarum messis est, & quasi flos thalami, socialis amoris fructus, parentum communis animus, pretiosæque reliquiæ. Parentes quippè gaudent in liberis, veluti nativo quodam in speculo se ipsos intueri, & proprio arridere simulacro. Nam cùm sit amans sui natura mortalium, suam ut semper contempletur imaginē, se se effingit in altero. Quid quòd successione sobolis gentilitium nomen propagatur in ævum: continuantur generis stemmata, unoque sanguine surgunt populi nepotum, in quibus quædam

## DELPHINO.

dam immortalitas feritur, ut quod natura non concessit hominibus diu vivere, id ipsi procreatione liberorum consequi videantur, per quos suum etiam ultra funus diutissimè, si minùs toti certè parte sui quadam, eaque optima superstites manent. Vivunt ex parentibus filii, sed & vicissim filii parentibus vitam restituant, dum naturam, quam ab iis nascendo traxere, tradunt succedentibus sæculis, & incorruptum majorum nomen ad ultimas ætates longa prolis serie transferunt. Accedit robur, & firmamentum familiæ, quæ, ut arbor luxuriosa radicum propagine, sic numerosæ, pulchræque sobolis præsidio nititur. Quantus enim ex nobili filiorum corona paternæ gloriæ splendor additur? quanta etiam reverentia accersitur? quia non modò conspectu suaves, colloquio, officiisque jucundi sunt, sed hoc vel maximè parentibus utiles filii, quòd eorum amore nihil fortius, nihil fidelitate robustius. Timetur quisquis posteros relinquit nominis vindices, & potestatis assertores: omnium patet injuriis, qui nullum habet hæredem dignitatis, & famæ. Quare solemne fuit cunctis propemodum gentibus, ubi proles deficeret, naturam arte fulcire, & peregrinos successores accersere, ut ruentis familiæ casum ingenioso supplemento vitarent. Propterea Osirim Dionysius in

## 6 GENETHLIACUS

Ægypto, Pandides Ægæum, & Theseum  
 Ægæus in Græcia, Adamas in Caria  
 Alexandrum, Hildericum in Gallia Si-  
 gebertus, Aurelius in Hispania Veremun-  
 dum, Luithprandus in Insubria Caro-  
 lum, Theodoricus in Italia Herulorum  
 Regem in filium adoptavit. Neque  
 Romani hoc loco prætereundi, quibus  
 pluresne liberi fuerint asciti, quàm ge-  
 niti, dubitet, qui legerit hæc arte Tibe-  
 rium Augusto, Claudio Neronem, Pi-  
 sonem Galbæ accessisse; familiis insertas  
 plerasque familias, Octavianam Juliæ,  
 Æmilianam Africanæ; & Nervæ Traji-  
 num, & Trajano Adrianum, & Anto-  
 ninum Adriano, & infinitos demum alios  
 ab aliis adoptione quæsitos. Nempè ma-  
 jores nostri hoc suæ orbitati remedium  
 afferendum putarunt, ut si liberos natura  
 negaret, solertia pareret, ac intelligeret  
 unusquisque, quo proprii loco filii de-  
 beant haberi, postquam tanti fuerint vel  
 alieni. Sed quid profanis utimur, qui  
 divinis abundamus? Gentibus olim nu-  
 mini mancipatis summi beneficii loco  
 promittebatur *longævum semen*, & sæcunda  
 progenies: iis verò, quæ in scelera prouif-  
 sent, Deus ad summum dedecus juxta,  
 & acerbissimam pœnam, *sine liberis vulvam,*  
 & *ubera* interminabatur *arentia*; adeò ut  
 maledicto quodam afflatus, & veluti de  
 cœlo tactus videretur, quisquis priscis  
 illis

illis temporibus careret ornamento, ac solatio liberorum: & quantò matres suos tunc partus gloriosius numerabant, jactantes prægnantis uteri pompam, tantò steriles fœminæ ferebant acerbius infamiam solitudinis, & arescentium viscerum probra. Incedebant mæstæ, demisso vultu, veste lugubri, sinè nomine, quia sinè sobole; orbi penè invisæ, quòd orbi haberentur ingratae. Aliæ suam sortem in sylvis miserabiliter lamentari: aliæ cœlum precibus urgere, & quà votis, quà sacrificii prolem quærere: aliæ fœtus alienos sibi etiam subrogare, & ancillarum puerperio suæ sterilitatis labes implere: Tantus omnibus amor, & desiderium prolis.

Jam intelligis, Rex Augustissime, jam Regina sapientissima vides, quantum Majestati vestræ decus accesserit, ex quo vobis nobilem filium, communem parentem nobis, Gallia Augustum olim Regem procreastis. Auxit vos tandem hoc Deus munere, quo nullum majus, hoc quidem rerum statu, aut ipse concedere vobis, aut vos ab ipso contendere poteratis. Fuerit is magnus dolor tandiu caruisse fructu connubii: abundè sanè diuturnam mœstitiam Deus hoc pignore compensavit, quo simul vester nobilitatus est thalamus, simul expletum desiderium, simul firmatum imperium; ò gratiam



## 8 GENETHLIACUS

tiam singularem! ò beata tempora! ò non expectata miracula! Meminimus, quæ regium animum tristitia premeret, cum sibi suspiciendæ prolis spes nulla foret post tam longa annorum sterilium spatia. Et verò non poterat Rex optimus, non vehementer dolere, cum recogitaret, Regum tota Europa nemini, præterquam sibi deesse filium, & aulam hæredum vacuum oculis lustrando, principum identidem cæterorum natales acciperet. Quis tibi tum animus, LUDOVICE? tum sensus orbitatis domesticæ? Quis præterea nævus fortunæ? Magna feceras huc usque, Princeps Inviçtissime, imò omni prorsus fide majora: sed quò celsius tua te virtus erexerat, eò naturæ Injuria videbatur atrocior, quæ summo Regi invadebat, quod ipsi passim plebi concedit. Tollebaris, tua ut solitudo altius emineret, & qui longè, latèque fines amplificabas imperii, mirum erat, domum te augere non posse. Jam Majestatis tuæ numen ubique diffuderat, jam bella civilia ineluctabili pace mutaveras, jam erexeras socios, & ruptorum fœderum vulnera ferro sanaveras, jam virulentam hæreseos saniem deterferas, & rebellionis arcem everteras, jam ad Ruppellam hostibus, procellisque superior altas maris voragines fatali mole compleveras, jam non minùs foris, quàm  
domi

DELPHINO: 9

domi victor continuatis laureis, prærupta  
 Alpium juga transmiseras. Immortalia  
 sanè facta, nobilesque victoriæ; sed ope-  
 rosius aliquid tibi moliendum restabat:  
 efficere tui similem. Ita in tanto rerum  
 apparatu hoc minùs felix videbaris, quia  
 solus: neque enim satis erat tibi vis opum  
 immensa, non classium robur, & exer-  
 cituum numerus, non imperii florentif-  
 simi gloria, non amor tuorum, non so-  
 cietates exterorum, non cumuli trium-  
 phorum, quandiù desiderabatur filius,  
 qui vultus patris referret, hæres qui tan-  
 tæ pondus gloriæ sustineret. Quidquid  
 magnificè fortuna tribuisset, putabas exi-  
 guum, quòd felicitati tuæ suum nondum  
 addidisset natura suffragium. Audiebas  
 tu quidem passim Inviçtus exteris Justus  
 subditis, omnibus Triumphator. Alii  
 te rerum Restauratorem, alii Domito-  
 rem hostium, alii immensi Regnatorem  
 Oceani, alii Galliæ Numen alterum, Pro-  
 pugnatorem Italiæ, Britannia Fulmen,  
 Iberiæ, Germaniæque Terrorem, Europe  
 totius Arbitrum appellabant; Patrem ve-  
 rò hæctenus vocare nemo potuerat, nisi  
 quando Pater patriæ dicebaris: dulce  
 adhuc aberat parentis nomen, quo indi-  
 gebas uno, qui tam multis abundabas.

Parte alia Reginam, qua non melior  
 altera, videbamus pari mærore confe-  
 ctam, Divis, hominibusque supplicem,

A §

humi

10 GENETHLIACUS

humi prostratam, nunc Deo dicatas ædes pedibus adeuntem, nunc in vulgi turba demissè sacra mysteria usurpantem, nunc clam subeuntem cœnobia virginum, & religiosa captantem silentia, quò cœlum suis aliquando precibus vinceret, & inde stirpi regię furculum duceret, unde sciret antiquum liliorum candorem Gallię Regibus defluxisse. Nam tametsi infinitis glorię titulis coruscabat, & magni Regis filia, majoris soror, maximi conjux, cæterorum denique Regum vel consanguinea, vel affinis, omnia ferè Europæ diademata suo sanguini avita cognatione sciret esse conjuncta: quoniam tamen nondum Regis mater, in tanta ubertate sceptrorum, orbitatem domesticam deplorabat. In mæstam solitudinem frequens aula transferat, declinabat ipsa populi conspectum, à quo sibi Regem postulari sentiebat, ingemiscebat, se non parere principem tot principibus ortam, & quæ magni nominis famam superaverat majorum exemplo virtutum, vivum sui exemplum posteris non posse relinquere. Sed hunc denique merorem excepit gaudium, postquam Regi filium peperit: ò Galliam tibi, ANNA, vel hoc nomine immortalis nexu devictam, quòd eam Delphini natalibus fecisti regnis omnibus clariorem! ò supra modum illustrem Reginam, ex quo nostro dedi-

sti

sti novum Sydus Imperio!

Si quis superioribus annis hujus prolis augur, & prænuntius accessisset, quos illoribus excitasset in plebe? quos in sermones incidisset, qui rem omnino desperatam vaticinando promitteret? Res enim erat hujusmodi, vix ut eam quisquam optare, nedum expectare auderet. Scilicet cum id maxime nostræ omnium preces, supplicationesque ad hanc diem incubuissent, ceciderant tamen huc usque irritæ, & incredibile videbatur, quod tot annos frustra petieramus, Deum in hæc tempora reservasse. Votis ardentibus successerat triste silentium, & longis fessi clamoribus, cælum quod ad nostras preces pridem obsurduisse credebatur, erubescibamus audire: quin ipsi, quod sperare vetabamur, metuebamus etiam loqui. Memini enim, ante annos septem, cum Burdigalæ esses, REGINA AUGUSTISSIMA, & illustris Doctorum Accademia, tui salutandi causa, ex officio convenisset, vetitum fuisse oratori, jam ad dicendum parato, ne quam de Delphino vocem mitteret, cujus tum adeo nulla spes erat, tibi, ut non tam benè precari, quàm illudere videretur, quisquis intempestivam illius faceret mentionem. Anno verò proximè elapso, cum primum te gravidam rumor vulgasset, qui sermones ultrò citròque sunt habiti? quæ plebis

## 12 GENETHLIACUS

conjecturæ fuerunt? quæ civium iudicia?  
 qui sensus exterorum? Illi dicere spar-  
 sam de industria fabulam ad explo-  
 randa vulgi ingenia! illi suspicari hanc  
 inter belli molestias nobis fingi mate-  
 riam gaudii: illi ridere in sinu, etiam  
 in angulis cavillari: nemo fidem adhibe-  
 re prodigio. Ut enim, quod quisque  
 timet, citò credit, ita ægrè sibi persua-  
 det accidisse quod vehementissimè cupit.  
 Et ecce vicit diffidentiam nostram divi-  
 na largitio: desiderium beneficii magni-  
 tudo: expectationem omnium tua, no-  
 straque felicitas. Didicimus fieri potuis-  
 se, quod factum est: & te jam nostram,  
 ANNA, fatemur esse, postquam nobis  
 diceris mater, Mater verè Magna, quæ  
 Reges paris, Galliæ verè Regina, quam  
 amplificas. O quanta es modò, quæ pau-  
 cis ante mensibus de te tam modicè sen-  
 tiebas! quantum emines, quæ latebas!  
 imò qualis, quantusque tuus, idem &  
 noster, per te LUDOVICUS occurret  
 omnium oculis? quàm charus subditis?  
 quàm formidabilis hostibus? Quid enim  
 Rex suopre ingenio generosissimus non  
 perficiat illo Heroe subnixus? quid vi-  
 cissim Heros filius hoc patre non audeat?  
 Erit aliquis, qui Galliam vel non exop-  
 tet amicam, vel non pertimescat adver-  
 sam? & cùm uni pridem nostro pareant  
 omnia Principi, quidquam aliquando con-  
 juncto

juncto Principum duorum obsistat impe-  
 rio? Ibit venerabilis, & altero tantò ma-  
 jor, qui semper maximus fuit, tuumque,  
 Regina, fatebitur esse, quod crevit, nos  
 utrique vestrum, quòd adeo sumus feli-  
 ces, referemus acceptum, illamque  
 diem claro notabimus calculo, quam no-  
 stro in orbe surrexit ille Parelis. O no-  
 nas Septembres nobis æterna memoria  
 retinendas! Observaverunt quidem alii  
 religiosè summorum virorum natales;  
 diem illam Personæ perpetuò sacram ha-  
 buerunt, qua Xerxes accessit imperio;  
 eam Syracusani semper coluerunt, quæ  
 Timoleonem; eam Athenienses, quæ  
 Socratem peperit. Romanis quoque dies  
 illa quot annis solemnis fuit, qua urbis  
 fundamenta jaci ceperunt, nec non Idus  
 Juliæ Julii Cæsaris ortu insignes, Kalen-  
 dæ Januariæ Titi, Decembres Nervæ,  
 Novembres Adriani, Apriles Antonini,  
 Februariæ Constantini, claræ natalibus  
 olim Romæ magna cum pompa celebra-  
 ri consueverunt. Nobis verò semper illa  
 dies dicetur supra cæteras omnes beata,  
 quæ regio præluxit Delphini partui; illa  
 nobis in anni circumflexi redibit gratif-  
 sima omnium, quam utinam placeret  
 imposteriorum dici Delphiniam, ut in Asia  
 quondam festam quamque diem à Mutio  
 liberratis vindice, Mutiam nuncupatam  
 legimus, illamque Cyrus lucem, qua-  
 Sacas

## 14 GENETHLIACUS

Sacas memorabili strage delevit, Sacam de ipsorum nomine voluit appellari. Quamquam hæc adhuc exigua, illi nos dici meliora precemur, quæ nobis affulset optima. Luceat illa Sole perpetuo, quin etiam novis fulgoribus augeatur; immortalibus fastis emineat, & orbi Christiano recurrat semper augusta.

Ac certè quemadmodum jucundior nulla nobis illucescere potuit, ita nulla quoad recordari possumus, majorem Galliæ lætitiâ attulit. Quis non risit cùm auctum filio LUDOVICUM accepit? quis non oculos sustulit, cùm is nuncius ad aures pervenit? sed quantæ ubique extiterunt signa lætitiæ; Exaudiebantur passim confusæ tubarum clangoribus civium acclamationes, festis undique pyris lucebant compita, ludis theatra personabant ingeniosis, cælum coruscabat missilibus ignium locis, tellus mugiebat repetitis fragoribus tormentorum, sibi quisquedemum gratulabatur illam diem, Deo miraculum referebat. Quid dicam redimitas emblematis statuas, & pyramides sulphureis jaculis fulgurantes? Quid suspensos artificiosis nubibus soles. & pluvias vini jucundas? quid dies noctibus continuatos, & noctes accensis funeralibus perturbatas? Hic florum congestæ messes, illic extractæ dapibus turres; Hic tripudia nantium chori, illic convivantium globi:

**DELPHINO: 15**

globi : nec satis erat vinum capacibus haurire poculis , nisi solutis etiam doliis funderetur . Parum videbatur erogare pecuniam , spargebatur in vulgus : adeò quisque rerum luarum obliviscebatur , cum Delphini meminerat . Quæ satis ego mirari non possum , cum mihi redit in mentem , qui nuper erat vultus Gallorum : enim verò deformes non ita pridem , & squallidi videbamur , quia foris bella sæviebant atrocia , domi urgebant occultæ mala . Jam plebeculam demessuerat dira fames , & ecce non longè post lues summis æquè , ac infimis metuenda supervenit : lues remiserat , bellum successit , quo nullum ante funestius ; itaque nobis vita trahebatur multiplici , ac tortuosa negotiorum ambage . Sed hunc vultum cum fortuna mutavimus , metus omnis abscessit , postquam DELPHINUM aspeximus , qui sedabit procellam temporis , otia reducet antiqua , populos faciet inconcussa pace concordēs .

At enim liceat mihi à privatis regiæ domus honoribus orationem deducere ad commune Galliæ bonum , & post aulæ delicias nostram quoque fortunam diligentius contemplari . Qualem tandem futurum arbitramur hunc puerum , quem DEUS extra ordinem nobis concessit , LUDOVICUS XIII. perfecta jam ætate genuit , ANNA AUSTRIACA post at-

den.



## 16 GENETHLIACUS

dentissima vota concepit? Mos fuit antiquus nascentium Principum partus curiosius inspicere, & ex natalibus conicere, quid cuique fata servarent. Quam quidem divinationem nonnulli ex Syderum observatione ducebant, uti fertur Tiberius Augustus imperium prædixisse Caligulae: nonnulli arripiebant ex somniis, uti Cyri gloriam ex eo coniecisse narratur Attyages, quod ejus mater sibi dormienti visa esset ex se palmitem fundere, quo tota latè Asia tegeretur: nec non Philippo præcognita dicitur Alexandri virtus, quòd sibi in somnis leonæ foeta occurrisset Olympias. Idipsum alii se colligere posse putarunt, subitos rerum eventus interpretando, quemadmodum Augustus dextri fulminis jactu destinatus perhibetur imperio: alii ex notis quibusdam à natura impressis vaticinando, quomodo Scanderbeko Principi tot hostium victori ea figura gladii, quam toto ejus brachio natura longè descripserat, invictæ fortitudinis prælagium fuit: alii ex verbis ipsis argumentando, quæ à se primò frangere solent infantes; ita quod Rex Pyrrhus maternis adhuc appensus uberibus gestiendo, *Volo* primum dixisset, ea statim vox transit in omen audaciæ. Quid consulta dicam oracula? quid ab orco quæsitæ mendaciæ? quid captata ab avisibus auguria, & adhibita

bita tempestatum, dierum, horarum examina? partusne contigisset ameno vere, an rigida hyeme Kalendis, an Idibus? die Jovi sacra, vel Palladi? Infitæ olim divinandi artes, sed totidem quoque fallendi: plurimæ fati conjecturæ, sed incertæ omnes, & vanæ.

Quare valeant dubia astrologiæ judicia, valeat Hetrusca veterum disciplina: nobis nec coitiones, declinationesve syderum, astrolabio colligendæ, nec lituo describendæ cæli plagæ, nec evocanda carmine manium spectra, nec adeundus Apollo, vel consulendus haruspex ad auguranda Delphini nostri miracula. Prodit se satis illa Majestas suorum splendore natalium, nec celsam illius indolem metiri debemus peregrinis omnibus: quia nefas est cœlestis fatum scrutari superstitione mortali, & quod nomen ipsum comprobavit, revocare ad sortem. Quis enim dubitet augustam hanc prolem divinitus esse concessam, cujus causa toties immortalis Deo solemniter supplicatum est? toties litatum? quas non opes in mendicos effusas, quas non preces in cœlum emissas, quibus non templa donis, quibus non sacrificiis altaria cumulata cognovimus, paternis ut Rex aliquando frueretur honoribus? Nemo nostrum non sæpe vocavit venturam prolem, nemo non genua flexit, & supplex adiit superos, ut nostræ tandem orbitati

## 18 GENETHLIACUS

bitrati consultum vellent, quia hæc summa votorum, unum omnium desiderium, Galliæ nasci DELPHINUM. Quo si gaudemus demum, gaudemus profectò Dei munere, à quo cum nihil fluat, quod non omninò sit absolutum, an non ab eo Principe tantum sperare oportet, quantum à propitio numine tribui consuevit? Atque nos idcirco Deus huc usque protraxit; hæc molestæ sustentationis origo.

Inquirebamus nuper quamobrem post tam longam à liberis solitudinem, is denique Regi obvenisset: Atque illi quidem causabantur magnitudinem operis, & longas rerum ingentium moras: nihil perfectum existere subito; vulgus hominum cito nasci, quasi nullius momenti: Reges ad mundi gubernacula comparatos in lucem difficilius erumpere & longa fingi meditatione naturæ illi morem numinis afferebant, quod sua quidem beneficia, prolatando commendat, nos verò dissimulando exercet: ita fidem probari nostram, erudiri constantiam, nec non, quæ seriùs, ac difficilius obtinentur, diligentius conservari. Nonnulli secus interpretantes præclarè factum arbitrabantur, ne quàm ardentè à nobis regia proles ab ipso statim Regis connubio efflagitabatur, tam celeriter prodiret, quod LUDOVICUS noster tum admodum  
juve-

juvenis, si filium suscepisset, brevi regni locium habiturus fuisset, nec orbis duobus sufficere potuisset qui uni pene videretur angustus. Nonnulli vertebant se ad arcana naturæ, quæ seipsam interdum excusso corpore vegetat post ortum actuosior, cum ipsa mutetur corporis habitudo, & ætas succedat ætati; hinc enim aliquando seges est, ubi fuerat solitudo. Alias demum alii insperati memorabant causas eventus: mihi tamen sic semper animo persuasum, tam diu negatam optimo Regi sobolem, ut cum ejus obtinendæ spes omnis corruisset, certò liqueret, quis tanti beneficii auctor esset habendus, ipsique fateremur hunc puerum non tam enitentis naturæ labore, quàm indulgentis dono providentiæ genitum: Quod intellexisse te, Rex præstantissime, satis indicasti, cum recens editum, regis manibus excepisse diceris, non ut primis indulgeres amplexibus, & paternum nomen osculis initiares, sed ut creditorem agnosceres, & cælo delapsum, pignus, numini consecrares. Nec multò post audivimus Reginam (cujus quoties nomen incidit, offert se mihi statim divina quædam pietatis effigies) hoc prædulci onustam pondere processisse ad aram, & inter solemnia sacra, flexis genibus, religione singulari, sanctis perfusam lacrymis Deo partus sui dicasse delicias:

eias: ne cui liceat imposterum dubitare, quin acceptum sit à numine, quod ab utroque parente videmus numini redditum.

Quippè neuter ignorabat Deo semper placuisse primitias, quas, profana etiam antiquitas vanis Deorum simulacris offerendas putavit. Nam & Sabinos veteres accepimus Deo Terminò pubescentium segetum comportasse manipulos, & Isidi recentium vuarum sanguinem libasse Sacerdotes Hetruscos: Græci præterea Vestæ frugum principia, Romani Iovi Feretrio nova offerebant hostium spolia; quin matronis solemne fuit prima muliebris mundi firmata de templorum tholis suspendere, nec Theseum puduit Apollini Delphico comæ nascentis exordia consecrare. Superstitiosa ist hæc, & vana, ut tum ferebant tempora. Vos parentes optimi, quibus augusta de cælo mens, antiqua pietas, vera religio, vero, æternoque Numini obtulistis puriores primitias thalami, nec aliena dedistis, sed vestra, proprium scilicet sanguinem, communem vitam, ipsa denique viscera. In quo quid impensius admirari nos decet, tuam LUDOVICE fidem, an tuam ANNA pietatem? doni magnitudinem, an dandi modum? Magnum est quod dedistis, sed effundebat se vester animus ad majora, & largiendi voluntate quàm facultate

cultate ditiores, regium donum, quo nihil potius habuistis, prosequuti estis lacrymis, auxistis affectibus. Sed hæc Deo secreta patuerunt, nobis non licet tam altos scrutari sensus; satis est; quem vos ipsi tacite devovebatis, vidisse aris oblatum, & suspensum manibus, quem corde gerebatis infixum. O solium Delphino dignum! O dignum altaribus ferculum! Suos quondam Principes, cum nascebantur, Scythæ clypeo extulerint, ad belli præludium; suos Athenienses sacerdotibus infulis texerint, ad pacis auspiciam; Persæ adverso Soli opposuerint, ad religionis specimen; Romani humi straverint, ad miseriarum exemplum; Turcæ militari vexillo, ad jactantiam; Græci purpurea chlamyde ad pompam: Parthi casside, ad ferociam exceperint: Delphinus aris erat imponendus, ad æternum pietatis regis monumentum.

Sed quò mea sensim se subduxit oratio? mihi de nostra omnium felicitate dicere meditati nova semper occurrunt miracula. Quæro tandem, in quem virum sit evasurus Princeps his natus auspiciis, his cæremoniis inauguratus? Ingentia sunt, non humilia Dei dona, minora quidem opibus suis, semper tamen meritis hominum celsiora: ac proinde munifico nummi facit injuriam, quisquis ab eo putat aliquid concedi mediocre. Memores



## 22. GENETHLIACUS

mores estote, Galli, quantum acceperitis victorem in Philippo Augusto, quale Sydus in Divo Ludovico, quos parentum preces nostro quondam imperio pepererunt: Prædicate Ægyptii, qualem videritis in Josepho moderatorem, quem Deus effætæ Patris senectuti concesserat: Dicite Hungari, qualem habueritis Regem in Stephano, cujus natalibus præluxit cœlesti prodigium: Referte Hebræi, qualem susceperitis in Isaaco Patrem, in Samuele Judicem, in Joanne Solem, quos sterili prognatos thoro universus orbis suspexit. Nihil est à cœlo commune, à quo, qui nobis Delphinus exiit, non potest non esse Magnus. Quanquam hæc si abessent divina suffragia, sufficerent puero exempla domestica, cum sanguinis ille degener esse non possit, nec à Rege Christianissimo, Religiosissimaque Regina quicumque edi non optimus. Ut fructus arborum naturam sequuntur, sic ferè liberi parentum mores imitari solent, & non vultum tantùm, sed indolem quoque ferre simillimam. Jam ex utraque stirpe quanta Delphino sese offerunt incitamenta virtutis? Nolim à me quidquam hoc loco per assentationem dictum, quia nec virtus calamistro, nec cothurno veritas indiget: verùm ut hæc mendacio crescere non potest, ita non debet premi silentio. Eo sub Rege nos vivimus, cujus

non

non modò quisque optet imperio subiici, sed ut subiiciatur etiam contendere debeat: nimirum illius vita, si æquius æstimetur, censenda est magna quædam virtutum thesis, & veluti collegium miraculorum. Si dixerò bonitate incredibili, altissima prudentia, æquabilitate perpetua, eximia pietate, summa fortitudine præditum? minus, quàm debeam prædicem; quia quæ reliquis Principibus laudi singula tribuuntur, in nostro uno mirabiliter coeunt universa. Quem non suo statim vultu recreat, si comparet? quem non demeretur, si dignatur alloquio? Pascit intuentium oculos, & licet magno jam nomine totum latè orbem impleverit, tamen contra quàm cæteris accidit, major semper conspicitur, quàm solet prædicari: adè ut qui Regem nunquam viderint, summo ejus videndi desiderio teneantur: majori metu amittendi, qui vident: abripitur, ad eum quisquis accedit: & quæ est divinarum rerum natura, ita sibi omnes affixos tenet, nemo ut ab eo non recedat invitus, quisquam vix avelli possit. Quamquam illa Majestas etiam absens coli solet, quos enim sua non præsentia reficit, rerum gestarum fama percellit: etiam iniquissimos quosque suæ gloriæ obtrectatores ita perstringit, ut incertum sit, plusne diligatur à subditis, an prædicetur ab hostibus.

Quid



Quid ergo jam Reginae virtutes dicendo commemorem? quas sanè multas maximalque esse oportet, postquam Rex tantus eas suspexit, omnes tacito quodam instinctu palam efferunt. In ea quippe non modò acre viget ingenium, sed tam casti præterea mores elucent, tam egregia fides, tam solida pietas, tam insignis mansuetudo, ut cum dignitatem summe fortunæ retineat, nihil supra communem sortem assurgat, ea quæ sit omnium vox, si quis Reginam in media turba aulicorum internoscere velit, facilè cogniturum, dum observet modestissimam omnium. Cultu simplex omnem longè ornatum superat, semper animo tranquilla nescit aulæ strepitum, omnibus denique virtutibus cumulata facit, ne nos Clothildes, Blancas, Radegundes, Eleonoras, Elizabethas, Margaretas, Catharinas majoribus nostris invidemus, postquam tenemus ANNAM, quæ paucas sibi Reginas vidit æquales, nullam habuit gloria superiorem. Equidem quoties Regem, vel Reginam intueor, existimo videre me spirantem honestatem, radiantem sapientiam, arridentem humanitatem, sedentem constantiam, liberalitatem erumpentem, imperantem justitiam, religionem triumphantem, quæ in utro majora sint, difficilè est comparando judicare, in utroque profectò sunt tanta, quanta summis Principibus optari possunt. Qua-

## DELPHINO. 27

Quare vestrum est Galli ex ea semente messem æstimare, quam collegistis: magna siquidem vis est in genere, propterea quod communione naturæ, non modò parentum sanguis derivatur in venas succedentium liberorum, sed ipsa eorundem virtus in mentem quoque transfunditur, adeoque si quantæ sunt in utroque parente tum ingenii, tum virtutis dotes, tantas postmodum in regio Delphino visurum sumus, (quod par est unum quemque nostrum sperare) quis omnibus retro seculis Princeps major, meliorque surrexit? Si Patris vigilantiam obtinet, quis solertior? si Matris dignitatem, quis spectabilior? dum illius clementiam referet, quem non vincet officiis? dum hujus modestiam imitabitur, cui non occurret augustus? Accedat ad Regis fortitudinem, cuncta suo adjunget imperio: succedat Reginae pietati, nullum non rapiet virtutis exemplo: Æquet Ludovici justitiam, quid non illo Legislatore moderatum? Exeipiat Annæ sapientiam, quid non illo Rege perfectum? utriusque demum retineat indolem, videbimus gravitatem, urbanitatem, modestiam principatum, majestatem popularitate conditam; & quidquid habet GALLIA nobilitatis, & gloriæ, quidquid HISPANIA amplitudinis, & famæ, in hoc unò collectum ad mundi dominium.

B

Atque

## 26 GENETHLIACUS

Atque hunc vigorem, hoc imperium, toto jam illius vultu eminere audio [ neque enim fas omnibus eò testes afferre oculos ] Regem spirare dicitur adhuc infans; jam affulus genis lepos, & dignitas, quæ Principum esse solet: jam fronti decus impressum, cujusmodi Heroem decet; jam fulgor inditus oculis, qui fideum, & cœleste aliquid sapit. Cernitur uterque parens unius in ore; excelsum caput attollit, quasi toro, vel in cunis jacens regno emineat; figit obtutus imperterritos, quasi gentes jam nutu terreat, suo brevi ferro domandas, manus explicat audaces, quasi sceptris aptare velit; teneriter firma exercet brachia, quasi præludat hostium fati. Ecquem verò metum circumjectis hinc inde nationibus barbaris incussum fuisse putamus, ubi primum de Delphino audivere? An non ipsis visi sunt prisca illi Gallorum Reges, tot gentium superbi victoriis, quorum imperio universus fere terrarum orbis succubuit, hoc infante renasci? O Galliam hac imprimis prole felicem! Nunc longas tibi, Regina, partus moras ignoscimus, quas tam glorioso fœnore reparasti: jam intelligimus, non nimis diu expectatum fuisse, qui tantus futurus erat; quin eò gratior accessit, quò serior; eumque tu, Mater Augusta, tardiùs emittere debuisti, ut ex sanguine jam maturo coalesceret

lesceret fortior. Siquidem ad concipiendum difficilis, lenta etiam partu fuisti; & cum ad annos tres, & viginti fetum suscipere distuleris, in decimum præterea mensem gestasti utero; tum quia Principes non eadem, qua cæteri, celeritate funduntur, & qui rege prægnans est uterus, ægrè patitur tam superbo se onere liberari; tum quia operosum est, quid quid excellit, & longo spatio cuditur, quod æternitati sacratur. Sic uniones videmus avaro cælo singulos sudari lentè; sic elephantum toto biennio uterum ferre, & fetum moliri, sic leonem post longos naturæ conatus unum edi partu generoso, sed raro.

Hoc unum ad felicitatem Galliæ sempiternam optandum restat, ut eum ad multos annos superstitem videamus, quem, ut liceret aliquando conspicerè, diu, multumque contendimus; & longiùs tantò vivat Delphinus, quantò cœpit vivere seriùs. Quod ipsum etsi futurum semper speravi, maximè ex quo dubitat nemo, quin hunc Regi filium Deus singulari quodam munere concesserit: tamen auget multò etiam magis spem meam eximia Regis pietas, qui eundem vix dum alvo materna conceptum, Virgini Deiparæ, una cum amplissimo regno, solemnè ritu consecravit. Hic enim, LUDOVICE, præterire non possum insigne illud religionis tue

## 28 GENETHLIACUS

monumentum, quod dum hominum genus erit, nulla non sæcula prædicabunt. Jam tibi desideratæ prolis spes non inanis affulserat, jam pretioso fœtu Regina distendi cœperat, cum tu miraculi intelligens, ut beneficium, quod pietate merueras, pietate rependeres, idque cum scœnore, non modò pignus acceptum, sed & præterea universum, quàm latè patet, Galliarum imperium, Augustissimæ Dominae, nexu perpetuo devovisti; ne quos haberes in subditis, quos illa sui nesciret esse mancipii. Imò verò jussisti nos tuæ devotionis esse consortes, & tecum ad Pedes Magnæ mundi Imperatricis accedere, ut gratiam, quæ pertinebat ad omnes, singuli agnosceremus, tum Regni dedicatio perfecta haberetur, cum eam quisque voluntario firmasset obsequio. Et si enim tu, qui omnium in te fortunas colligis, unus spondere poteras pro omnibus, & Rex magnus personam implere humilium famulorum: tamen, ne cogi videremur ad servitutem, dum nos inauguras ad sanctitatem: decuit, ut ipsi tuum non minùs spontè imitaremur exemplum, quàm faciliè sequeremur imperium. Quale fuit illud spectaculum, quàmque jucundum? cum se infinita toto regno vis hominum, ordines universi, cætus, societates, collegia, municipia, castra, urbes, provincie ad Almæ Virginis aras, ipso die, quo

quo Assumptę in cęlum triumphus agitur,  
 effuderunt: Atquę hinc Rex suo major  
 imperio, inde Regina fętu gravior ma-  
 gnifico in genua procubuerunt, ut simul  
 omnes Galliam potenti cęlorum Reginaę,  
 simul venturam prolem Augustę Dei Ma-  
 tri, uno consensu voverent. O magnum  
 pręludium gloriaę! O benę, ac feliciter  
 auspiciatam Delphini sortem! Sic regius in-  
 fans nondum terris monstratus, cęlo mili-  
 tare didicit: prius initiatus, quęm eductus:  
 ante superis addictus, quęm nobis editus:  
 sponsores iidem fuerunt, qui parentes: re-  
 gni obfes idem, qui hęres. Ecquid hoc in-  
 fante beatius, quem citius Virginis manus  
 excepere, quęm obstetricis? quid MARIA  
 tutrice securius, cui se Deus ipse regen-  
 dum dedit? Hęc imperium Delphino, hęc  
 Delphinum servabit imperio. Quod si  
 nostra adhuc exaudiuntur omnium vota,  
 nemo certę illo felicius regnavit, nemo  
 diutius vixit, Ille sibi gentes, quas belli-  
 cus furor toto orbe divisit, conciliabit uni-  
 versas: ille subditis, quos habebit innume-  
 ros, omnibus superstes erit: ille cum Leo-  
 nibus Leopardos, cum Liliis Aquilas im-  
 mortali pace componet: ille barbaram  
 gentem Orhomannorum, & nocturnum  
 crescentis lanę fulgorem extinguet: ille ad  
 utriusque maris remotissima littora, ad  
 orientem juxtā, & occiduum solem suę  
 majestatis numen diffundet: ille victoriis

## 30 GENETHLIACUS

orbem terrarum peragrabit, Clodovæis illustrior, Pipinis fortior, Carolis felicior, Philippis Augustior, Henricis major, Ludovicis [ si quid eorum addi potest pietati, & nomini ] etiam melior. Ergo vivat, qui nobis divinitus extitit Delphinus, & tot annos vivat, quot nascituro vota concepimus, quot plausibus natum excepimus. Vivat, donec nullum hostem Gallia sentiat, nullum Europa patiatur hæreticum, nullum Ecclesia non sibi subditum videat: Vivat secundus Regi, qui genuit: Regine similis, quæ peperit; Gallia major, quæ flagitavit: Superi, qui dederunt, æternum servent: cives, qui petierunt, patrem sentiant: exteri, qui timuerunt, victorem ferant: fæderati qui exoptarunt, triumphantem videant. Diu expectatus, nunquam recedat: miraculo genitus, miraculis fulgeat: cælo delapsus, terris imperet. LUDOVICUS meruit, LUDOVICUM æquet: ANNA obtinuit, ANNAM fœlicitet: Gallia suscepit, Galliam amplificet. Augustæ proli anni mille, Imperatori novo coronæ mille, Delphino Gallico victoriæ mille, ut pacem reducat, ut hostes conterat, ut oppressos liberet, ut Ecclesiam protegat, ut mundo imperet, DELPHINUS VIVAT. Hæc sunt tuorum vota, Rex Christianissime, hæc publicæ omnium, tibi, tuoque sanguini faustæ precantium acclamations. Deo tibi

## DELPHINO.

37

tibi Deus ætatem, quam mereris, Delphino, quàm cupis. Illius ortu ita gaudemus, ut tuum nunquam audire velimus interitum. Vivat ille diu tibi, tu nobis semper. Imperet in ævum, dum serò capeſſat imperium. Alios enim à te LUDOVICE; Gallia Principes: alios à te mundus, ANNA, Dominos postulat: quantumvis multos dederitis, pauci videbuntur, quia rarum omne, quod optimum. Date filios, videatis nepotes, & talem ſe-nectutem, quam ſibimet optet pronepos, cernat in proavo, tam fœcundam Borboniæ gentis ſeriem Gallia numeret, quæ nullum finem habeat, orbem impleat univerſum,


F I N I S.



B 4







LUDOVICO MAGNO  
PANEGYRICUS  
IMPER. ROMANORUM

NUMMIS CONTEXTUS,

A JOH. ANTONIO MEDIOBARBO  
C. R. S. Mediolanensi, Patricio Tauri-  
nensi, ex Academicis Affidatis,  
Errantibus, ac inter Arcades,  
Vitanio Gateatico.

**T**Andem aliquandò, LU-  
DOVICE MAGNE, post  
diuturnam factorum tuo-  
rum contemplationem,  
diù retentæ impatientiæ  
calor constantiam tacitæ  
admirationis evicit, jussitque attonitum  
adhuc tentare, an ea valerem sermone  
complecti, quæ meditatione conceperam.  
Sed cum omnia tot clarissimorum viro-  
rum ingeniis tentata sint, conceptum  
destinatumque honori tuo opus ad spe-  
ratæ gloriolæ metam festinaturum dissi-  
debam,

B 5

debam, nisi saltem argumenti novitate  
 procederet. Operæ igitur pretium me  
 facturum arbitratus sum, si numisma-  
 tum antiquorum elogiis oratio institue-  
 retur, qua viderer, ex antiquitatis mo-  
 numentis, historiam potius prætexuisse,  
 quam panegyrim concinnasse. Leguntur  
 tua facta, vel historicorum fide digesta,  
 vel oratorum facundia decantata. Vide-  
 mus ea, arte se se mirante, ære nuper  
 incisa, compediosaque emblematum eru-  
 ditione distributa; ut, qui Magni unius  
 gesta evolverit, omnium veluti maximo-  
 rum Regum facta condiscat. Habent  
 hinc, quod Principes præsentēs invideant,  
 sequentes æmulentur. Tuæ gloriæ adhuc  
 aliquid videbatur accedere, si prisca quo-  
 que Cæsares ad partes vocarentur, ut,  
 comparatione factorum, tantum infra  
 Te decreverent, quantum Tu supra cæ-  
 teros præmonstraris. Mirabili quadam  
 virtutum concordia mirarentur in Te  
 uno collecta, quæ de illis facundiæ an-  
 cillantæ necessitas adinvenit, metus ex-  
 pressit, gratia, aut ambitione scriptor  
 effudit. Itaque, si diligenti perquisitio-  
 ne, sigillatim tuæ vitæ momenta expen-  
 dantur, eaque cum gestis quis conferat,  
 non tam Te ultra ætatem putet, quàm  
 omnibus velut retrò sæculis interfuisse,  
 optimosque Cæsarum distributim pri-  
 mum fecisse, quæ post unus omnia fa-  
 cturus

Eturus esses, intelliget. (a) Quàm pulcrum  
 jucundumque non interrupta sæculorum  
 serie, annales Principum per metalla  
 digestos non legere tantùm, sed intueri?  
 Quàm dulce lætumque, præteritorum  
 imagines Ducum, rerum continuatione  
 dispositas, contemplari, Quibus veleda-  
 citas ætatis indulfit, vel quas, veneranda  
 quadam rubigine obductas, provida re-  
 rum conservatrix natura æternitati tran-  
 smisit? Quàm mirum, quàm verum?  
 Angustis forulis præterita sæcula includi:  
 Urbes, Regna, Orbemque veterem,  
 quem olim Roma gloriabatur sedendo  
 vincere, nos veriùs sedendo percurrere.  
 At mehercule, cum nil nisi consultò pro-  
 videnterque suscipias, interrogandus vi-  
 deris, cui bono tot eruditorum peregri-  
 nationibus conquista, tot impendiis re-  
 dempta erudita æra congesseris? Quorum  
 si elegantiam spectavero, ingluviem ipsam  
 temporum, veluti de industria, pepercis-  
 se: si raritatem; Minervam, eruditiora  
 de studio secreviffe: si numerum; Tel-  
 lurem fideliter reddidisse deposita, mihi  
 pro comperto sit. Utinam profano lice-  
 ret tuæ mentis sacrarium paullisper in-  
 duci, arcanaquæ populis revelare, is ego  
 essem, qui reverenti quadam confiden-  
 tia, secreta proferrem, Te non aliam

•

B 6

scili-

---

(a) *Le Cabinet des Medailles du Roy à Versailles.*

scilicet coacervandorum numismatum habuisse rationem, quam ut, dum ingentia tua facta fama concelebrat, eadem in nummis Caesarum, licet non ex toto, expressa cerneremus. Non imitatus certe illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt, ostentationem scilicet profusione captantes; sed ut ingentium remissione curarum cum otium esset [ò ignavam vocis inertiam! tamquam illudotium sit, quod aliorum negotiis anteverto] docta illa æra consuleres, factorumque tuorum fructum caperes, cum in aliis licet non eadem, ubi enim similia? adumbrata recognosceres.

Verum enim verò Tu FELIX in SULLA, in Pompejo MAGNUS, in CÆSARE PARENS PATRIÆ non diceris? tantò justius, quantò nulli debes tantam FELICITATEM flagitio, nullum habeas magnitudinis vel æmulum, vel exemplum, nullum redimas patris PIETATE dispendium. Non ne Tibi CONSERVATORI SUO cum AUGUSTO GALLIA gratulatur: gratias agit OPTIMO PRINCIPI cum TRAJANO, erigitque, INVICTO IMPERATORI TROPHEA cum SEVERO? Sed antequam ad ea properem quæ VIRTUTÈ duce, VICTORIA COMITE armatus egisti operæ pretium existimaverim leviter attingere ingentes illas curas, quibus te totum addi-

LUDOVICI MAGNI: 37

addixeras, ut Tibi à Patre REGNA AD-  
SIGNATA PROVIDENTIA regeres,  
JUSTITIA moderareris; RELIGIO-  
NE firmares. Sciebas enim Principem  
BONO REIPUBLICÆ NATUM pri-  
us patrem debere se civibus, quam  
militibus ducem, hostibus metum,  
ÆTERNITATI VICTOREM; nullum-  
que compendiosius iter Regi ad immor-  
talitatem properanti, quam si populorum  
commodis providenter invigilet, SALU-  
TI PROVINCiarUM provideat; ac  
PUBLICÆ UTILITATI veluti parens  
communis, inserviat. (a) Referam QUIE-  
TEM Foro, ÆQUITATEM Magistra-  
tibus, SECURITATEM populis reddi-  
tam, ut Tibi veluti TUTORI LEGUM  
Tribunal ipsum prægestire videatur? se  
se mihi publicanorum olim inexplebilis  
fames obiiciet. (b) Vetuisti exigi quod exi-  
gentium impensas aleret, quodve tribu-  
torum nomine Procuratores decoquerent,  
ex quo nihil ad Principem redundaret,  
præter obsequium immurmurans subdito-  
rum. Hinc, FISCO CALUMNIA SUB-  
LATA, rescidisti intestinum malum,  
contentus pro patrimonio, eoque inexhau-  
sto, AMORE, CARITATE MUTUA  
civium. Opes, quas olim dolentes, ne-  
ganti-

---

[a] *La nouvelle Ordonnance.*

[b] *La Chambre de Justice 1661.*

gantique similes exactoribus obiiciebant; læti conferunt reversuras; cum, vel pro dignitate Imperii, vel in commune consulere necessitas cogat. Licentiam vel exemplo vel lege coercitam exequar? (a) Duellorum furor extinctus occurret. Ad id inconsulta cæcitas dementiæ processerat, ut videretur nec remedia pati posse nec mala, quæ in præsens ita integrè sanata sunt, ut vix Gallia tanta olim phrænci laborasse recordetur. *Mori volentibus vis imperata vivendi.* Hujusce criminis tam severus ULTOR, quàm aliorum JUDEX exoratus. Ita provida severitate cavisti, ne in subsidium Tibi ac decus geniti, furori caderent. Viverent Tibi, imò viverent sibi ac FELICITATE SÆCULI, BEATA TRANQUILLITATE, CLEMENTIA TEMPORUM uterentur. Sin mallent, funeri superstites pro patria morerentur: Venirent in partem gloriæ, pro te constanter occumberent. Pænitebat mæres fertilitatis, sterilibus invidentes. Grates nunc agunt securæ gaudentesque, quarum FECUNDITATI tam sanctè prospexeras: maximumque votorum est educare liberos; cum videant, cui pariant filios Patri, cives Principi, milites Imperatori. Dicam? sed seu tot tantisque impar virtutibus, seu præpediat

---

[a] *Les Ordonnances contre les duels. 1662.*

pediat turba delectum, dixisse sufficiat  
 fuisse Regnum PROVIDENTIA consul-  
 tissimi Principis ita legibus ordinatum,  
 ut quam de voto finxerat Platq, credat  
 esse Rempublicam: fuisse Regem, in-  
 cuius FELICIA TEMPORA si procede-  
 ret Xenophon, illum videret Cyrum,  
 quem non scripserat, sed optabat. In-  
 juria tamen cæterarum virtutum fuerit  
 aliquas legere, plures præterire, omnes  
 tam angusto compendio complecti. Scio  
 modestam Principis, cum ubiquè lau-  
 danda peregerit, non alio magis, quàm  
 laudibus onerari. Intercessurus encomiis,  
 si sibi vetari pateretur, quæ gratitudo,  
 quodam impetu calor effundit; gaudium  
 impatiens coerceri, depromit; amor le-  
 gis nescius; jubet. Sciat insuper esse in  
 sua potestate quantum agat, non esse in  
 nostra quantum laudetur. Hinc tam mi-  
 hi tenax propositum laudandi Principem,  
 quàm utilitati publicæ ingratum siluisse  
 de Principe; proposito enim tanto exem-  
 plo, boni Principes, quæ faciunt, reco-  
 gnoscant; mali, quæ debeant æmulari.  
 Hac itaque ratione, quonam pacto, licet  
 inconcinna, præteribit oratio ~~in~~ ho-  
 minum autoritate increpitos, edicto ex-  
 plosos, exemplo sanatos? Hoc instar  
 GENSURÆ pariterque PERPETUÆ:  
 nam hoc in se boni habent exempla,  
 quòd breviori via approbant fieri posse,  
 quæ



quæ edicta præcipiunt. Itaque, CENSOR securior opere, effecisti, ut propè omnes unius moribus vivant: natura foret, quæ necessitas fuerat: ipsique illi, qui emendari abnuerent, boni videri vellent, sed dum vellent interim fierent. Hæc GLORIA SÆCULI, FELIX que TEMPORUM REPARATIO. (a) Sed adhuc CONSTANTIÆ AUGUSTÆ quid deerat, nec satis sibi videbatur bonos fecisse, nisi etiam penitus metum contagionis auferret. Debaccabantur florentissimo Regno malorum hominum reliquæ, heu quantæ? Quos olim effuderat iniquitas temporum, quos à vera Numinis RELIGIONE secreverat furor, quos audentiores in dies fecerat ex facili tolerantia. Quoties vibraturus tela suspenderas; Teque gesseras patrem? Dederas pœnitentiæ locum, addideras veniæ incitamentum; hac mente, ne cogisse videreris, quos bonos faceres; ac rarissima moderatione, malles dici reperisse bonos, quam fecisse. More superni Numinis, serena Majestate tonueras, non resipiscunt: Instas FULGURATOR, indormiunt; jam jam aderas ULTOR, infantiunt. Sed quanta annorum mora, & tanta res, & tota peracta est? Pestis hæc tam altè radices egerat, cui tollendæ non

---

(a) *L'hérésie détruite. 1685.*

non una ætas sufficere videretur. Natura insuper infelicitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quam mala; inimicasque artes virtutibus quis admiserit facilius, quàm opprefferit. Sed angustè nimis potentiam tuam metitur, qui non & impossibilia de Te credit. Audite posteri, penes quos aliquandò vereor ne portenta hæc admirationem potiùs sint habitura, quàm fidem; audite, inquam, quantum furoris cæcitatique annorum intervalla congesserant, una dies excussit, amovit, efflavit. Dies una? O brevem temporis usuram, toti sæculo comparandam? digna, quæ sola gemmis notetur, quæ una utramque fastorum paginam illustret, quæ sola arcus impleat. Una dies nec toties repetitum hunc sermonem velim imputes verborum inopiæ. Quid enim gloriosius Tibi, acceptius Deo, populi- que tuis potest proferri salubrius, quàm una dies? Abirent illi, fugerentque felicissimas terras, relictaque post tergum **ÆTERNA SECURITATE**, ad tardiora supplicia reservarentur. Ferrent secum teste conscientia, crimine vindice, tortore animo, **ULTOREM** scelerum Deum, cui, salva **CLEMENTIA** tua, ultionem hominum commendaras. Ita una eademque die res olim dissociabiles præstitisti: consuluisti præsentibus ne pessimorum consortio læderentur: providisti posteris,

42 PANEGYRICUS

ut PERPETUA SECURITATE gauderent. (a) Non Teigitur OPTIMUM PRINCIPEM (b) *Rom. sacra restituta* testantur? (c) Teque SACRARUM ÆDIUM RESTITUTOREM, ET RITUUM ANTIQUORUM CONSERVATOREM tercenta templa à fundamentis erecta, alia solo æquata, innumera deterfo squallore situque restaurata deprædicant? Nonne jure, COMMUNICONSU AUTOR, CONSERVATORve PIETATIS ostenderis? Hominisne est sanctitatem reducere, scelus aliò transferre, Deum obligare? Nonne hæc digna, per quæ totis arcubus legatur: OPTIMO MAXIMOQUE PRINCIPI SUPER OMNES RETRO PRINCIPES PISSIMO, CUM SUMMA BENIGNITATE JUSTISSIMO OB INSIGNEM ERGA CEREMONIAS PUBLICAS CURAM, ET RELIGIONEM; CUJUS INVICTA VIRTUS SOLA PIETATE SUPERATA EST. Næ si illis temporibus adfuisses, quibus virtutibus Principum CONSECRATIO decernebatur, auro stares, grandioribus hostiis radiatus invocareris. Sed quid inconfultus Christianissimo Regum divina ingero, humana etiam

---

(a) *La paix de l' Eglise 1669.* (b) *300. Eglises baties pour les nouveaux Catholiques.* (c) *Temples des Calvinistes demolis 1688.*

etiam renuenti? Non enim ille tam hominibus præesse intelligit, quàm se esse hominem sentit. Inde est, quod in laudibus tuis pono admissionum tuarum facilitatem, (a) humanitatemque, quæ sicuti claræ in Principe, ita & raræ. Non Tu illa de plebe Principum, qui arcana semper, secretumque captantes, populis imputant, quod videantur. In se opinantes fastigium dignitatis imminui, cum ad civium colloquia descenderint, majestati derogari, si quid fecerint, tanquam homines. Adiri difficiles, utpotè, superatis jam mille injuriarum gradibus, obstans durumque semper aliquid, quod moretur. Adiri, inquam, difficiles, quippe tyrannidem occupantes tantùm timent, quantum timentur. Quæ te adeundi facilitas! fortunæque tuæ posito supercilio, quæ in excipiendo HILARITAS! in audiendo PATIENTIA! in dimittendo TRANQUILLITAS! Quis, qui te paventi similis adierit, quem Tu dignatus aspectu, non se fidenter erexerit? Sed quis miser admissus, (ad mutandam hominum sortem quanti valet temporis punctum,) quem non remiseras felicem, fatentemque non illi longius adversorum fuisse spatium, quàm quod distulerit ad te deferre? Quis magis omnium quàm Tu?

---

(a) *L' accès facile auprès du Roy.*

Tu? non septus legionum numero, sed amoris excubiis; non stipatus terrore, sed exultatione mirantium tam grande donum, & esse in publico. Nonne mensa in medio, illeque brevis sopitor curarum, lectus in aperto; domus die nocteque invitans, non tam munita aulicorum vigilantia, quam Principis ipsius innocentia? O bene susceptam peregrinationem meam, expletosque labores! cum ea bona oculis usurpaverim, quæ auribus, de Te fama circumferente, perceperam. Diceris clementissimus, credidi; humanissimus, sensi; magnificentissimus, vidi. (a) Sed quò me blandiens materia ex inopinato perduxit? eò nempe quò **MAGNIFICENTIA** Principum præteritorum agrè, quamvis profusa, pervenit. Quid ultra mollis jactabit Ephesus Asianorum Regum sumptibus, ducentorum annorum spatio ædem Dianæ constructam, quam una nocte flamma vorax absumpserit. [b] Ædificia Rex unus, & solus extruxit, æternùm duratura, tam occulta celeritate properata, ut non à fundamentis constructa, sed nata esse videantur. Quid **ANCUM** ædificatorem **ROMA ÆTERNA** concelebras? Confer **PALATIUM NERVÆ, BASILICAM**

---

(a) *Le Roy magnifique en ses bastimens.*

(b) *Les batimens faits par le Roy.*

LICAM ULPIAM, FORUM TRAJANI, victa fateberis; tantum illa nostris comparata decrefcere. quantum fupra Ancum, Nervam, Trajanum, totumque vulgus Cæfarum Rex unus extollicur Legimus toto Oriente in castra perducto, Xerxem Athon fole æquaffe quod copiis transmittendis obftaret; verberatumque prius, compedibus aureis dehinc vinctum, ponti fubjeciffe Hellefpontum. Legimus, fed & ipfa pofteritas Græciam mendacii taxavit. Vera tamen fint, dummodò non fint fola, vel fint minora præfentibus. An nescimus cum aquam bono publico, vel Regiarum molium ornamento deducendam curaret, montem explanaffe, feu potius, tanta fuit velocitas, aliò tranfufiffe? Hic arcus, columnæ, infcriptæ pyramides erigantur, AD DECLARANDUM QUANTÆ ALTITUDINIS MONSTANTIS OPERIBUS EGESTUSSIT. Quam pulcrum jucundumque fpectaculum, flumen ipfum [a] toto alveo, invitum quidem, invitum tamen, ad rupis alta reptare; totque machinamentis inclufum in faftigio fiftere fe fpectandum? Lubens præteribo artis ingenium, Regis impenfam, molis miraculum; nequeo fatis mirari fluvium tanto impetu in fublime eventum,

---

[a] *La machine de Marly,*

## 46 PANEGYRICUS

Etum, quanta tranquillitate in plana  
 deductum. Quàm supra hominum vires,  
 immensum aquarum pondus in alta de-  
 ferre, undarumque exuberantium ruinas  
 sistere? Quàm magnum igitur, Ludovi-  
 ce, quàm tuum, cursum fluminibus de-  
 torquere, aquas de montibus derivare,  
 naturam sua lege movere. AQUA MAR-  
 CIA, CLAUDIA, TRAJANA, Urbis  
 olim commoda, orbis miracula fileantur,  
 quantæ fuerint, fornicum arcuumque  
 ruina metitur. ANIENEM NOVAM  
 ab Claudio in urbem perductam ven-  
 ditare quis posset, nisi ex opposito major  
 esset, ut Sequana Aniene, ita stultissima  
 Principum consultissimus Regum. Equis  
 Caesarum, ut in aliis, sic præcipuè ma-  
 gnificèntia ipsorumque operum executio-  
 ne comparari [a] Tibi non reformidet? Ju-  
 lius ea potentia, qua invasit Imperium  
 perfodere aggressus est Isthmum, quo Jo-  
 nio misceret Ægæum: irridens Deme-  
 trium Regem idem aliquando agitasse,  
 nec assequi potuisse. Quid effecit? nisi ut  
 experimento constaret ipsum non felicio-  
 rem fuisse Demetrio, sed audaciorem.  
 Eandem operam strenuè navavit, & Ca-  
 jus, non minori conatu, sed pari succes-  
 su. Hunc æmulatus, & Nero, instans  
 operi, quod non perficeret, non aliud  
 asse-

---

(a) Canal pour la jonction de deux Mers 1667.

affecutus est, nisi ut vulgaretur arcanum, nec omnia Cæsarem posse. Isthmum Ægyptiacum, quo Africa circumnavigaretur, jam olim à Sesostris, Neco, Dario, Ptolomæo tentatum ingens fama vulgavit: tot Regum potentia in ausu defecit. Sed quid externa exempla ingero, cum domestica suppetant? Tuus ille Carolus nonne aliquando curam animo parem suscepit, nisi usque duorum in Germania fluminum derivatione Oceano jungere Mediterraneum? sed frustra molitus, contentusque ostendisse posteris quantæ molis esset tentare naturam, intactam tibi reliquit hanc gloriam. Et quantum est (a) procurrentium spatium enorme terrarum, quod mare utrumque interjacet? Immania montium prominent? æquentur. Subsidunt profunda vallium, replentur. Pugnat natura, vincatur. Hinc propositis duobus exemplis, de utroque vestrum facilis conjectura est. Illa tentaverat Carolus, Ludovicus ista perfecit: Cum sitis invicem Magni, uter major est? Nec in eodem genere laudum (b) prætereundum est, CIVITATIBUS RESTITUTIS quamplurimis, aliquas de novo erectas, & illas senium deposuisse, & has veluti accepisse juventam, quæ  
feris

---

(a) Canal long de 64. lieus. (b) 150. Places ou Citadelles bâties ou fortifiées.



seris ÆTERNITATIBUS commenda-  
rentur. Si tantisper Oratori concessum  
foret erudita, poetarum audacia tuas lau-  
des adornare dicerem non tantùm urbes  
lætari, quòd illustriùs frequententur, sed  
terram ipsam gratias agere, quod bene-  
ficio tuo augustiùs habitetur. Adderem  
VIAS ipsas, QUOD adeò luculenter  
MUNITÆ SINT, TRAJANA FLA-  
MINIA que certantes non tam restaura-  
tione, quàm populorum frequentia, non  
tam splendore, quàm commerciorum  
fide gaudere. Tu enim ut itinera terris,  
terras itineribus: ita mari littora, litto-  
ribus mare ÆTERNA SECURITATE  
reddidisti. [a] Hinc Sethi, & Tolonii por-  
tibus, hinc Bresti, & Rupefortii (b) con-  
structis navalibus, ut non amplius Roma  
PORTUM OSTIENSEM, PORTUM (c)  
AUGUSTI ostentaret. Scriptis insuper  
sexaginta (d) millia nautarum, lectisque  
octingentibus nobilium juniorum in mi-  
litiam navalem. Credamne quod tot [e]  
negotiis mens una, tot impensis manus  
una sufficiat? Et adhuc MAGNIFICEN-  
TIÆ summa capita delibavi, cum tam  
multa

---

(a) *Les Arsenaux de Seth 1666. de Rochefort.* (b) *Les Ports de Toulon, & de Brest 1681.* (c) *La Navigation rétablie 1668.* [d] 60000. *Matelots le vex 1680.* [e] 800. *jeunes hommes: entrollez pour garder la Marine 1683.*

LUDOVICI MAGNI. 49

multa de MUNIFICENTIA dicenda sint? Nullum ego ponerem inter virtutes hæcè discrimen, nisi te illa maximis Principibus æquaret, ista Te Deo propius admoveret, qui se totum mentibus humanis insinuans, non alio magis, quam LIBERALITATE sentitur. [a] Testes mihi educandis alendisque pauperibus tot ædes constructæ, ac præcipuè sanctiora illa nobilium Puellarum hospitia, ut non amplius [b] ULPIANÆ, FAUSTINIANÆ, MAMMÆANÆ, sed tuæ, sed Sancyranæ memorarentur. Testes, inquam, [c] mihi tot celebres Sapientum conventus in ÆTERNA hac URBE annuis, itemque te dignis LARGITIONIBUS fundati. Hic Lacydium, Porticum Athenæ mirarentur. Non hic Storam Socrates, Stagiram Philosophus, TUSCULUM Romani Princeps eloquii desiderarent. [d] Mathesis tot inventis aucta Syraculis non invidet Archimedem. Astronomia hac quæ videmus magnificentia excepta, tam constanter exercita, [e] Botanica tam diligenter excolta, alia Ptolemæo sidera, aliaque Dioscoridi natura

C tura

---

[a] *L'Hospital General de Paris* 1656. (b) *L'etablissement de Saint Cyr*. 1687. (c) *L'Accademie des Sciences*. 1666. [d] *L'Observatoire* 1687. [e] *La decouverte des Satalizes de Saturne* 1686.

turæ miracula commonstrarent. (a) Dē-  
 cam eloquentiam antiquis illis purioris  
 ævi temporibus parem? Scias non mi-  
 nori sub Augusto florere. Sermonem  
 loquar tot eruditarum noctium vigiliis  
 perpolitum, [b] ut *unius labii* gloriæ tel-  
 lus reddita esse videatur? cum sermo  
 Gallicus omnium cœperit esse lingua  
 populorum. Scias hoc evenisse sub Prin-  
 cipe qui ubi gentium victoriis non ad-  
 fuit, eò magni nominis famà pervenit.  
 Dicerem adhuc plura, nisi studiis meis  
 facturus satis, venerandæque antiquitati  
 gratulaturus Inscriptionum Academiam  
 adproperarem (c) SAPIENTIA PRIN-  
 CIPIS PROVIDENTISSIMI institu-  
 tam; [d] Ministri vigilantissimi curà  
 promotam; Præsidis meritissimi erudi-  
 tione directam. (e) Nec secùs accipias  
 velim, quod tuis laudibus illorum en-  
 comia permisceantur. Illis enim solum  
 addidit virtus distincta suffragium, ut  
 eligerentur; tua unica laus est elegisse  
 digniores, qui tanto operi promovendo  
 pares essent. Academia autem ipsa quo  
 labore, industria, eruditione suo tuo-  
 que muneri infervit, quàm denique se  
 esse

---

[a] *L'Accademie Françoise. 1672.* [b] *Dans la  
 Genesè.* [c] *L'Accademie des Inscriptions 1663.*  
 [d] *Monseigneur de Pontchartrain.* [e] *M. l'  
 Abbè Bignon.*

LUDOVICI MAGNI 51  
 esse tuam sentit ? Rem invicem maxi-  
 mam quemadmodum præstitistis [a] Tu  
 illi dedisti vitam ; illa tibi ÆTEKNI-  
 TATEM : Huic , tibi que Gallici ÆTER-  
 NITAS IMPERII se debebit . Desudat  
 enim illa invictissimos Antecessores tuos  
 fide numismatum posteris tradere , Tu  
 omnes [ quod nulli Cæsarum contigit ]  
 RESTITUERE . Ambo hac gloria , ut  
 illa FELIX TEMPORUM REPARA-  
 TIO , Tu CUSTOS ÆTERNITATIS  
 AUGUSTÆ quandoque dicamini . Quo  
 illa studio rem implet , qua Tu præstas  
 impensa ? Longum esset ire per singula  
 tuæ munificentiae monumenta , quæ , im-  
 patiens Regni florentissimi finibus deti-  
 neri , ( b ] in extraneas oras extenditur ,  
 Spargis per orbem oculos , materiemque  
 inquiris . quâ illa INDULGENTIA FÆ-  
 CUNDA occupetur [c] Quam Tibi curam  
 injunxisti , ne diem perderes , ut sicuti  
 nulla vacua laude transcurrit , ita nul-  
 la , quæ LIBERALITATE cessaret ,  
 quamque inter faustas felicesque benefi-  
 ciis

C 2

---

[a] L'Accademie des Inscriptions qui vient de nous donner la vie du Roy par Medailles , travaille à present à faire de memo de tous les Ancetres de Sa Majesté . [b] Les liberalitez du Roy dans les pais estrangers . [c] Vers tous ceux qui se distingunt ou dans les Lettres ou dans les beaux Arts .

ciis non signares? Quisquis est, qui ingenio floreat, merito valeat, arte præcellat, qui te non senserit esse munificum? Undequaque circumspicis, si quos muneribus tuis pares invenias: Quos reperis dignos sollicitas grandiora tentare, quibus indulges, sperare majora, omnes te promereri. Quàm magnificum, quamque tuo sæculo dignum LOCUPLETA-RE ORBEM TERRARUM, longinqua Provinciarum tuo Regno beneficentiæ ingenio, veluti admovere; quibusque Princeps populis non obveneras, Te illis Augustum, Mæcenatemque præstare, cum te interim tui Parentem publicum experiantur. Patrem, inquam, qui, cum tantam Regnorum curarumque molem sustineas solus, in omnia indulgentissimi parentis officia descendis. Quàm certa omnibus Te vigilante SECURITAS! Quàm æqua omnibus Te providente FELICITAS! (a) Quæ sollicitudo ne fames ingruat, aut si grassetur, ne ad quemquam molesta perveniat? Cura eadem Pompejo non minus addidit gloriæ, quàm infecta victoriis maria; quàm Africa, Pontus, Hispania triumphis lustrata. Crediderim superni Numinis PROVIDENTIAM, tuam experiri voluisse.

---

[a] *Les soins de Roy dans les famine de 1662, & 1694.*

LUDOVICI MAGNI. § 3

luisse. An nescimus fœlices secundis probari, magnos adversis? Ingruebat in dies fames, quam nemo sentiret. PLEBEI URBANÆ FRUMENTO CONSTITUTO, missisque qui ad FRUGES EMUNDAS de tuo properarent, per Te omnibus ALIMENTA, omnibus FRUGES ACCEPTÆ. Ita ÆTERNO BENEFICIO effeceras, ne ingrata tellus, aut inobsequens annus videretur; qui fertilitate destitutus, numquam aliàs tuæ gloriæ uberior redundavit. Cùm pluvias CEREREMQUE FRUGIFERAM frustra exoptasset Agricola, Tibi tetendit manus, quas olim Cælo. Ingemiscebat duræ, obstinatæque serenitati, cùm Tu interea fœcundarum aquarum munere fungereris. Qui nisi sterilitatem, damna sterilitatis averteras; nisi fœcunditatem, bona fœcunditatis invexeras. ABUNDANTIA UBERITAS, SÆCULUM FRUGIFERUM, FÆCUNDUMQUE, omnia denique LUDOVICUS. Sed aliò vocor. Aliò autem? Satisne DONA AUGUSTI, CONGIARIUM DATUM POPULO miratus sum? Huc Antonine, Severe, Caracalla, qui LIBERALITATEM ad VIII. usque extendentes vos diis suis pares fecerant cives, ipsi credebatis vestris certare numinibus. Pauperis, atque imputantis Principis est dinumerare, quæ confert. Non patitur

noſtri LIBERALITAS AUGUSTI numero definiri, ſpatio includi, termino comprehendi. Nonne inſtar liberalitatis perpetuæ ANNONA ÆTERNA hæc, qua Regnum exuberat, dicenda eſt? Hæc eſt natura Terrarum, ut non omnis omnium facunda proveniat. Seu ſideribus plagæ imminentibus ea vis ſit, ſeu, quod ut religioſius, ita veriùs crediderim, DIVINA PROVIDENTIA uni Provinciæ diſpenſari quod alteri commodet, illa ab altera referat: populoſque quos immenſo Terrarum ſpatio vellet invicem eſſe diſcretos, mercium permutatione conjungeret; ſeque homines eſſe ſentirent, alterius indigentes. (a) Habet Gallia quidquid eſt omnium; una tenet, quo ſingulæ laudantur. Maſſicis, Falernis, Cæcubiis Campania Italia gloriatur, iſta Campaniam opponet ſuam. Sit SICILIA ſuperba frumento, nec cedat AFRICÆ, in Provinciæ tuarum una vincentur. Gemmis ARMENIA, auro India memorentur, omnes habet in Rege. (b) Hic Orientem, ad hoc duplici claſſe inſtituta, partemque ultimam jam deficientis naturæ ita commercio miſcet, ut gloria connectit. Quidquid extrema Sinarum ora prædicatur, advehitur;

---

(a) *Abondance de tout en France.* [b] *La Compagnie des Indes.*

hitur; Quidquid agrè nutrit plaga æterna hyeme damnata, transfertur; Quidquid ubique peculiare, si natura negat, ars æmulatur. (\*) Artes illas dico, quæ non tam incrementum Tibi, quàm vitam debent. Superbiebat Britannia, quòd victorem populum vestiret tamen: gloriabatur Italia se ingenio valere: Se jactabat Hollandia industria posse, cùm tamen Gallias manu, Te virtute præpollere ultrò faterentur. Refudisti omnibus merces suas; addidistique, scient eas aliquando tuis populis necessaria non contulisse, sed Tibi veluti quædam tributa præstasse. Nonne igitur communi concentu, ut & tot Academiæ HERCULI MUSARUM, ita REGI ARTIUM bonarum RESTITUTORI, artes ipsæ grates exolvunt? Artes scilicet exules in hoc amplissimum Rêgnum reductæ, quas præcipuè in URBE T A florere jussisti, Quæ mihi miranti succurrit. Antoninum duas tantùm urbes in hoc immani tractu, quo universus orbis includitur, mirari solitum, orbem, & ROMAM. At quantò modestiùs, quantò veriùs si dicerem compendium orbis Gallias, tantique orbis urbem esse Lutetiam. Cujus, (b) Tu AM-

C 4

PLIA-

---

[a] *Les Manufactures établies*. 1664. [b] *Paris embellie, & agrandi*. 1670.



56 - PANEGIRICUS  
PLIATOR CIVIUM , prolatis Imperii  
finibus , more veteri , protulisti pomæ-  
rium . Hinc quantò digniùs si adderem,  
hujusce , & orbis , & urbis Regem non  
minùs Antonino PIETATE , pacisque  
artibus commendari , quàm ipsum bel-  
lica laude præcedere .

Decreveram , Rex invictissime , fortia  
tua gesta intacta cogitationibus reserva-  
re , quàm facundia tantis operibus non  
respondente delibare leviter , breviter-  
que percurrere . Sed cùm abundè com-  
pertum sit nullum , vel certè rarum ,  
fuisse Principem , cui partæ domi glo-  
riæ conferrent bella suffragium , quæsi-  
taque armis famæ , domestica responde-  
ret , placuit hac de Te suspitione invi-  
diam liberare . Probandum insuper erat,  
cùm tot victoriis , secundisque successi-  
bus omnia circa te mutata sint , an in  
Te nihil prosperitas tanta mutasset : An  
eadem TRANQUILITAS ad Tuos RE-  
DUCI , quæ CLEMENTIA VICTORI .  
Nescimus ne aliquos Cæsarum , populo-  
rum lacrymis profecutos , sinu pacis ad  
bella profectos , felicibus victoriarum  
eventibus elatos , civium damno , Rei-  
publicæ exitio , Patriæ periculis esse re-  
versos ? Constet igitur Te fuisse Princi-  
pem , qui avita Regna PROVIDEN-  
TIA tuereris , legibus augeres , AU-  
GUSTA VIRTUTE proferres .

Et

(a) Et primò se se mihi offert DISCIPLINA Castrorum . Olim lascivire militem licentià criminum , duramque artem in luxum vertere , militia vocabatur . Edicto cavisti , ne quis ad stipendia tua non virtute magis , quàm modestia perveniret ; ut per hæc RESTITUTOR EXERCITI dicereris . (b) Increpare vallum saltu , furias fluminum nando transire , superare alta montium cursu , rudimenta sunt tyrocini : Hostium numero non terreri , sed erigi ; Quò obstinatio fervet pugna misceri ; Itando cadere , hostesque cadendo minari , tuorum militum natura est . Cùm debeant Principi obsequium , Duci fidelitatem ; FIDEM LEGIONUM , CONCORDIAM ÆTERNAM MILITUM vix laudandas esse censerem . Unde EXERCITUS GALLICI GLORIA ac VIRTUS sint decere milites modestos , fortes , UBIQUE VICTORES . Horum tibi tanta cura , ut appareat in magno Duce bonus Pater . (c) Tot juniores Nobiles tuamunificentia educati quid aliud clamant ? His quandoque Castra replebuntur , alimentisque tuis ad stipendia tua pervenient . Ex his duces , ex his bellorum robor , & ornamenta . Alii emeriti , hi pulchris vulneribus ,

C §

vel

(a) La discipline rétablie dans les Troupes 1666.

(b) La valeur Françoise . (c) Les Cadets 1691.

vel senio debiles, isti ætate *Invalidi?* (a) de eorum nomine Regis ædibus excipiantur. Illane castra Prætoria, an Capitolium? Sed qua illos honoris dignatione prosequeris, qui nobilitate & claris facinoribus emersere? (b) His Ordo Sancti Ludovici institutus. Quid Civica, Rostrata, Muralis, tanto muneri comparatæ? Non contentus tuorum militum fortia gesta liberalitate pensare, nisi in exemplum, & illa præmonstres: contentus, inquam, dignos laudibus, ac iudicii tui æstimatione munerari, nisi cum illis gloriam partiaris (quod est difficillimum) imò Te ipsum illis hoc Instituto, communices. Quis non accenditur, cum cuique constet, quæ maneat laus fortitudini, merces sudori, quies senectuti? His tu artibus tales reddis, quales dici suos Macedo magnus vellet, invictus Africanus optaret, acer Annibal invideret. Sed quid militum laudibus immoror? cur de via in diverticulum? non ita tamen procul ab invictissimo Duce, qui suos pariter laudans cum fortiter egerint, ipse unice laudandus est, quod fortiter agant. Pollent consilio Duces, milites manu, omnes fama; & illi arcanorum ministri, & hi virtutis imitatores. Illos sic imbuis, hos sic formas,

---

(a) *Les invalides, & le magnifique bâtiment* 1676. (b) *Ordre militaire de saint Louis* 1693.

LUDOVICI MAGNI. 59

omnes denique tales facis, qualis ipse es.  
 Et quanta habuere intervalla virtutes? (a)  
 Quot annos dederas spatia exemplorum?  
 Quàm statim totus! ut SOL ORIENS,  
 qui non una sui parte, sed simul exori-  
 tur. (b) Nonne puer adhuc pientissimi  
 Parentis ÆTERNÆ MEMORIÆ trium-  
 phis litasti; primitiasque victoriarum,  
 non FORTUNÆ PRIMIGENIÆ, sed  
 VIRTUTI COMITI obtulisti? Tibi ut  
 JOVI CRESCENTI Græcia olim eblan-  
 dita esset: JUVENI TRIUMPHATO-  
 RI ROMA FELIX occinuisset; tantif-  
 que potius initiis, quàm Alexandro Cæ-  
 sar ingemuisset. Pluribus contigit nasci  
 felices, adhuc nemini nasci magnum.  
 Serus quidem Patri, populis, orbi con-  
 tigisti; ætatum mora procuditur, quod  
 immortalitati sacratum. Eum differri oport-  
 tebat, qui non natus, sed ab optimis,  
 ut melior, electus esse videretur. Parum  
 interest quando cœperit, quod terminum  
 non habebit. Cùm omnes mirarentur  
 quantus esses in puero, Te citiùs inire  
 imperium debuisse fatebantur: sed sine  
 exempli periculo, providisti ne quid ami-  
 seris

C 6

---

(a) *Le Soleil devise du Roy. 1663.* (b) *Rocroy pris le cinquième jour du Règne de Sa Majestè, l'Annèe 1643. la prise de Thionville. de Trin, & de Pont de Sture de la même annèe.*

seris ex præterito, cum festinata maturitate factorum, moras penſares annorum, ætatiſque jura præverteres. PUBLICÆ FELICITATIS parum intererat quem Te vocaret; cum te INDULGENTIA Patrem, ætate puerum, utrumque PIETATE ſentiret. A tam grandi incremento VIRTUS iſta PERPETUA ſupſit initium. PROVIDENTIA ipſa, dum Te tanto aptabat imperio, nunquam indulgenter habuit. Quem ÆTERNITATI deſtinaverat, juvenem bellis exercuit; [a] VICTORIA ÆTERNA enutrivit, quem quondam vellet PACEM ORBIS eſſe TERRARUM Pullulabant undique ſemina bellorum: erat INVICTUS HERCULES Gallicus, qui tantæ difficultati par eſſet; ac adverſis probata virtus, venia Chriſtiano Oratori ſit, frueretur ira factorum; ſuperataque difficili, difficiliore alia expeditione, labore aliò, dignior inveniretur. Horum qualis copia, quantuſque numerus: Omnes ea rapiditate expleti, qua conſtantia ſuſcepti. Tot glorioſis facinoribus veluti circumſeſſo quis ordinem, quis delectum ab Orotore deſideret; Dicam \* Belgium, & Alſatiam Regno addita? [b] Lotharingiam

---

[a] *Les guerres civiles.* \* *Les Conquêtes du Roy en Flandres,* (b) *La réduction des Villes en Alſace en 1680.*

**LUDOVICI MAGNI.** 6r  
 giam mense, [a] Burgundo hebdomade  
 iudactos, (b) Casale ac Argentoratum ea-  
 dem die recepta, quodam seu victoria-  
 rum, (c) seu felicitatis impetu memora-  
 re par esset. (d) In Insulam suam reda-  
 ctum Anglum, veluti alio orbe exulem,  
 vel quam opem Gothus, Danusque fec-  
 detarus sensit, aggrediar? (e) Hollandia  
 sapius domita, [f] ut quæ majorum lau-  
 dum argumenta suggererit, ita mihi præ-  
 ripit cladum dignitate, sermonem.  
**RHENUS** erat, qui ut olim **SALUS**  
**REIPUBLICÆ DANUBIUS**, ita salus  
**PROVINCiarUM** credebatur. [g] Ob-  
 stat ille, Pontis impatiens, victricium  
 armorum torrentibus, nando superetur;  
 & hic sit **TRAJECTUS AUGUSTI**.  
 Hostes in opposita ripa, virtutem mi-  
 rantes, nec congregi ausi, non sine invi-  
 dia ac dolore fatebantur nihil invium-  
 fore sic ad bella tendentibus. Vix ab  
 Rheno Victor discesseras, jam regionis  
 ulteriora triumphaturus intrabas. Ag-  
 gressus eo ipso tempore, quod amicissi-  
 mum illis, difficillimum tibi [ sed ubi  
 tibi quid arduum? ] Intulisti ipsis suam  
 hye.

---

[a] La Lorraine conquise en 1670. (b) Casal &  
 Strasbourg en 1681. [c] Les avantages sur les  
 Anglois. [d] Le Roy protege ses Alliez. (e) Con-  
 quêtes en Hollande 1672. (f) Prise de 40. Villas.  
 (g) Passage du Rhein à la nage 1672.

## 62 PANEGYRICUS

hyemem . Tam præcipiti victoriarum  
 successu Legiones per invia rapiebantur ,  
 ut aliqui vix adesse hostem opinantes ,  
 jam VICTORI procumberent . Cæterùm  
 cùm vicina victoriis , ac terrore comple-  
 res , non hoc gloriæ promovendæ spe ,  
 sed cùm tantùm HONOS , & VIRTUS  
 proposita sint , ut ingratos moneres , nec  
 tibi defuisse clementiam , qua illis olim  
 opitulareris , nec deesse vindictam , [ a ]  
 cùm beneficiorum immemores , opem-  
 tanti LIBERATORIS insimulant . Hos  
 tu penitens delevisses , nisi malles inquie-  
 tos homines , seu pœnitentiæ , seu gran-  
 diori beneficio reservare . Vix GALLIA  
 FELICISSIMO ADVENTUI gratulaba-  
 tur , vix erant VOTA SOLUTA PRO  
 REDITU , iterum sunt PROFECTIONI  
 SUSCEPTA . Vix emerita arma  
 suspenderas , jam hosti imminebas ; in-  
 starque tibi remissionis erat mutatio cu-  
 rarum . Quidquid Homines vocamus la-  
 borem , tua natura est . Continuatis ne-  
 gotiis , ac in orbem redeuntibus , non erat  
 victoria finis belli , sed gradus futuræ .  
 Superbiebat GERMANIA clade Varia-  
 na , quodve toties olim DEVICTA , non  
 SUBACTA , nunquam SUPLEX tota  
 paruisset ; ( b ) sua hyeme secura , suo siede-  
 re

---

( a ) *Les Gollandois secourus en 1666.* ( b )  
*Les Victoires en Allemagne 1678.*

re armata, catenatorum montium horrore munita. Ad hoc copiarum numero, & virtute fortes, Duces expeditionibus clari, Hostes denique quos à te vinci deceat. Tot urbes, imò tot Provinciae vel triumphis lustratae, vel in POTESTATEM REDACTAE non Te GERMANICUM MAXIMUM abundè testantur? Quem titulum olim sibi Imperatores appetabant, eo ipso tempore, quo ferox natio non jam amplius de sua libertate, sed de Romana servitute certaret. Si mos ille vigeret, quo sibi Cæsares de subactis gentibus titulos adoptabant, quibus Tu cognominibus monstrareris? Expugnator urbium Demetrius, VICTOR GENTIUM BARBARARUM Constantinus tibi ambitiosa vocabula ultrò cessissent. Aliæ insuper appellationes in Annalibus legerentur: nam quot Gallia habuit Hostium, tot ostendat & triumphorum. Non illis abundè compertum est quanto eorum temeritati constiterit iram tuam provocasse, indignationemque promeruisse? Cauti impofterum esse deberent, ac venerabili quodam pavore reminisci [a] Te olim opima spolia de captis ducibus referentem, [b] de tot subactis urbi-

---

(a) *Le Duc de Wirtemberg, & autres.*

[b] 13. *Villes prises en 1640. 11. en 1647. 14. en 1654. 40. en 1672.*



## 64 PANEGYRICUS

urbibus tanta victoriarum pernitate triumphantem, ut tibi longius fuerit hostium Regiones peragrare, quam vincere. Cur non mihi vires tanto oneri ferendo datæ, ut tot Provincias recuperatas, tot urbes obsessas, tot qua in dedicationem, qua in patrocinium receptas, dignis laudibus recenserem? Huc huc elaboratas noctium curas confer Historia, numquam aliàs pagina materia grandiore turgescet. Huchuc labor æternus Annalium trade posteris mirantibus potius quàm credentibus, (a) si quæ urbium obsessa Tyri constantiam æmulabatur, fuisse Alexandrum in Ludovico qui generosam temeritatem laudaret, & vinceret. Pugnabat ista propugnaculorum firmitate, quæ animo non auderet. Nesciebat incauta alatum esse VICTORIAM. Huc huc Vatum felix audacia, chartis duraturis ostende, quoties in Illio tota veluti fœderata includeretur Europa, toties in Rege invictissimo Achillem fuisse, qui CUM EXERCITU SUO obstinatum moram, arcemque diriperet. Innumeræ hostium copiæ, tot Principum unita potentia, dolus, virtus. Tot obstaculis solus occurris, tot conatus eludis: tot tibi monstra eodem, quo omnia,

---

[a] *Sieges de Villes faits par le Roy en personne.*

nia, animo superantur. Ut Jovis Filio dura Euristhæi jussa in gloriam cessere; sic illa hostibus tentata molimina, quid aliud effecere, nisi ut certiùs de eorum infirmitate, securiùs de tua virtute constaret [a] Dicite milites quo exemplo vobis vincendi momenta monstraverit. Totus undique militabas, ut attonita veritate, hostibus pariter ac tuis gloriosum de Te faceres errorem, in Te uno pugnare consentibus, quemque invictorum ducum elapsa ætas expaverat. Tantum metus hostibus, tantumque tuis ardoris infuderat, ut quoties fortiùs pugnaturus consilio castris abesses, absentem nec hostes crederent, nec commilitones ipsi sentirent. Quoties expertus & ipse es quàm arduum esset impatientiam gaudiorum coercere, cum inter metallorum horrenda tonitrua acclamationes misceret, idemque Victor exercitus ingemineret, VENIT, VIDIT, VICIT, IO IO TRIUMPHE, ac VICTORIAM TRIUMPHALEM FORTITUDINE obtentam lætis concentibus tolleret. Quoties vel hostis ipse, VICISTI, exclamare coactus est! Tu, quod tantæ VICTORIÆ LÆTÆ, quia JUSTÆ par erat, non minùs CLEMENTIA & MODE-  
RA-

---

[a] *L'action du Roy dans les Sieges de Tour-  
vay & de Donay 1667.*

RATIONE VICTOREM, quàm INVICTA VIRTUTE DEBELLATOREM GENTIUM te præstitisti. Si quid FATIS VICTRICIBUS dandum esset, nonne FORTI FORTUNÆ, DUCI OBSEQUENTI, SORTI PERPETUÆ tot facta adscriberentur, quæ VIRTUTI PRINCIPIS INVICTI COMITI tota debentur? \* PROVIDENTIA enim OPEQUE DIVINA, adhibitoque in consilium Deo suscipis, quæ FELICIBUS ubique AUSPICIIS FELICITER peragas. (a) Mirentur alii tot VICTORIAS NAVALES, \* tot auxilia etiam hostibus collata, tot Reges dignatos hospitio, tot aliaque gesta magna constantia suscepta, (b) majore perducta: non enim mirum est quòd illa perfeceris, (c) sed quòd non timuisti, ne non perficere potuisses. Commendent ii, quibus major ingenii fons, (d) prudentiam in dirigendo, utpote inter ea quæ tibi debes, quæque imputare non possis: Autoritatem quam in aulis Principum, venerationem, quam apud nostro orbe deducta

---

\* *Les Victoires navales de 1643. 1672. 1676. 1690. (a) L'Empereur & les Hollandois secourus 1664. \* La Reine de Suede recue en France 1650. [b] Roy de Pologne en 1669. (c) d'Angleterre 1689. (d) L'autorité & la veneration dans les Cours étrangères,*

ſta imperia, & quemadmodum comparasti. Nequeo ſatis mirari tot illuſtiores Victorias; quas de te retuliſti. Quam dignum Rege tot triumphis onuſto, ne virtus elanguat ſecum certare: ut vincat inſignius, ſecum contendere: Ne hoſtes victori deficient, ſe ipſum vincendum aggredi! Hæc vera victoria, quam pauci Cæſarum novere, fermè nullus obtinuit. Hos quos bellorum ſucceſſibus virtus evexerat, ſubegit ambitio, quos arma obduraverant, pax mollivit; Quos capti Reges, ac TRIUMPHUS extulerat, vicit crudelitas. Quantò enim difficilius eſt ſe, quam Rempublicam regere; quantò auſtius ſibi imperare, quàm hoſtibus retrectantibus leges imponere, quantò magnificentius domesticis commodis, privatisque progreſſibus PUBLICAM UTILITATEM quietemque præferre? (a) jam populorum ſecuritati, ſeriem victoriarum abruperas; jam paci tot votis expetitæ bellorum proſpera poſt poſueras, hoſtesque ſolemni ſacramento addixeras, ne ſanctiſſimi fœderis èdicta turbarent. Sed quid tam ſanctum inviolatumque, ſed quæ jura tuæ gloriæ invidis ſacra? (b) Cùm te aperte non audeant, Hispanicam in Italia ditio-

---

[a] *La paix de Rivik.* (b) *Les ſecours au Roy d'Espagne en Italie.*

tionem armis impugnant , non alia credam ratione , nisi ut experirentur an Te saltem in beatissimo pacis sinu imparatum deprehenderent . Sed quàm prompta auxilia , quàm accincta celeritas , quàm subita & insperata subsidia ! (a) Vide ne Hispania quid profeceris? [b] Numquam id felicitatis attingeres , tantum in Nepote Regem habitura , nisi in Avo tantum hostem habuisses . Parum grata tuæ fortunæ videreris , si te tot cladium pœniteret . Quàm pulchrum jucundumque spectaculum , gloria qua GALLIA insignitur , eadem tandem HISPANIAM dotari ; hoc præcipuè tempore , quo nec fuerit illa major , nec ista felicior . Nonne igitur speciosius omnibus triumphis , hostem quem sæpius sparsim prælio fuderas , totum simul & semel vincere beneficiis ? Nonne , ut gloriosum Tibi , ita hosti salutare , Hispaniam , quæ Te VICTORIOSUM SEMPER experaverat , Tibi veluti TUTORIS SUORUMQUE TUTORI gestire ? Exuberante gaudio vix mihi tempero quin Galbæ gratuler HISPANIAM GALLIAMQUE signantem . Nonne quod olim spes Galbæ , Vindicis votum , historia est ? GALLIA *tendit dextram* HISPANIÆ , *summus*

---

[a] *Le Duc d'Anjou Roy d'Espagne . (b) Conquêtes du Roy en Flandres, & en Catalogne .*

## LUDOVICI MAGNI. 69

*Amque ei praesidium pollicetur.* Dederant olim  
& Reges hostibus Cæsares : TRAJANUS PARTHIS ANTONINUS QUADIS , VERUS ARMENIS ; hac ostentatione , ut essent instrumenta servitutis & Reges . Sed quanti constat REX DATUS Hispanis ? Datur nempe hosti tot Regnis diviti , Regibus claro , mutuisque seu cladibus , seu victoriis nobilitate ; Non alio magis facto gloriabatur Philippus quam PACE FUNDATA CUM PERSIS , quòd illi Imperii Romani veluti omnium horarum hostes essent . Hucusque facilius credidi pugnantium elementorum potuisse conciliari discordiam , quam Gallos Hispanis . Non hominum hæc natura , sed cœli . Procurrentibus Pyrenæis à se utraque divisa , utraque suo Regno ab reliquo penè orbe seclusa : utraque magna , utraque æmula . Tantæ Tibi servabatur novitas gloriæ , ut ÆTERNA CONCORDIA jungeres , quos tanquam de industria natura secreverat . Dederat aliquid PUBLICÆ FELICITATI , nisi etiam GLORIA NOVI SÆCULI , mutatique signum esset , CONCORDIA PROVINCIARUM ; RESTITUTOR HISPANIARUM dicereris , qui eris CONSERVATOR RESTITUTORQUE GALLIARUM In Patriam redux , quæ miracula conterraneis dispensabo ? Quanta audiar corona circumfusus ? quo gau-

gaudio, qua exultatione cum dicam, **V**idi Regem qui nobis implorantibus, & quondam hostibus Regem dedit; Regem dico, non tantum **BONÆ SPEI**, sed quem ipse fecerat, reddiditque tantis Regnis parem, populorum votis majorem, similem sibi. Hoc Italiae, hoc nobis asserere tam grande munus, ne videaris illud nobis monstrasse potius quam dedisse. (a) **ITALIA** illa Gentium olim Terrarumque Princeps, veluti numquam habitura finem magnitudinis nec doloris ad id calamitatis adducta est, ut sui paveat proventus autumnus, suæque sentiat fertilitatis invidiam. Vide, Rex invictissime, ut tibi velut **HERCULI DEFENSORI** manus intendit. Te illi **TUTELAM** cum **BEATISSIMO SENE** Nerva, **INDULGENTIAM** cum Severo, ejusque **RESTITUTOREM** cum Hadriano precatur. Insubria præcipue (nec interest quomodo vocetur, Gallia est) Te **MARTEM ULTOREM**, **PROPUGNATOREM**, **CONSERVATOREM** votorum omnium collatione deprecatur. (b) Patria mea, quæ victoribus Gallis debet nitia, per Te sperat non tam securitatem, quam incrementa. Urbs hæc utrique simul fortunæ par, tot clades experta est, ut nulla aut acrius concussa, aut

---

(a) *La guerre d'Italie.* (b) *Milan ma Patrie.*

aut pertinaciùs sit reparata . Sed ne fenesceret , renovari debuit : ut æterna esset , sæpius excindi : Ut Tibi demùm niteretur , non semel concuti . Præteritis calamitatibus vix succensemus , occurre venturis . Si ea sola erat ratio , ut Tu nobis damnorum reparator contingeres , propè est ut exclamem , tanti fuisse ! juvabitque ad BEATAM TRANQUILLITATEM usu adverforum venisse . Recordare , tui fuimus . Sed quid imprudens vota congero ? Nonne Regem , ipsis etiam naturæ legibus destinatum , Tu divinæ PROVIDENTIÆ minister , nobis indulgentissimè obtulisti ? communicata tanti operis gloria , ut Principem , quem natura , jus , Deus dederant , illum Tu nobis assereres . Quidquid agis , æternitas est . Dubium ne erit an possit nobis Nepotem servare , aureamque pacem victorem reducere , quam aliàs armatis hostibus ac renuentibus dederat ? Non ea ratione , ut bello seu fractus seu fatigatus videretur : sed victoriarum suarum parcissimus æstimator , materiem sibi tot laudum præriperet , quas in posterum reservaret ? Magnum differre victorias , gloriam majus . Non tanti ducebas dedicationem Provinciarum , quanti PACEM PUBLICAM : hostiumque domitorum tituli Tibi præstantior videbatur FUNDATOR PACIS, FUNDATOR QUIETIS.



TIS. (a) Quàm tua MODERATIONE dignum, hostes cogere, ne toti vincantur! Quàm tua FORTITUDINE INVICTA eisdem induxisse leges accipere, quas numquam ferrent! Itaque toties experti, quem Provocaverint, discant timere; seu quod carius Tibi, illis erit utilius, discant amare. (b) Amicitiam tuam exterorum Regum tot difficillimis legationibus conquistam, Tibi servatam FIDE MAXIMA, Te confidenter efflagitent. Sin autem amant recentioribus exemplis condoceri, fœderatam olim illis Hispaniam consulant, & sequantur: Quàm jucunda tanti operis recordatio, triplici beneficio memoranda! Læta præsentibus, qui tanto bono perfruuntur; decora præterito; cum enim piissimus Carolus summopere desiderandus esset, ille Tuque abundè prospexeratis, ne desideraretur: Grata posteris, quos in perpetuum obligasti. Qui si quando curiosius inquirent quis olim sibi tantum Regem dederit, non alium reperient potuisse quàm Te, totiesque Tui recordabuntur, quoties PERPETUA FELICITATE perfruuntur. Verùm hæc olim: in præsentia autem quid mihi dicendum, quid tibi restat optandum, nisi quem  
ASIA,

---

(a) *La Paix de Risvik 1697.* [b] *Les Ambassades des extremitex du monde.*

LUDOVICI MAGNI. 73  
 ASIA, [a] AFRICA, EUROPA DE-  
 BELLATOREM GENTIUM BARBA-  
 RARUM, UBIQUE VICTOREM mi-  
 rantur, PACATOREM ORBIS sentiant?  
 VOTA ORBIS imple, qui solus potes:  
 LÆTITIA FUNDATA, SECURITA-  
 TE PERPETUA, CONCORDIA  
 ÆTERNA, PACE TERRA MARI-  
 QUE PARTA, JANO CLUSO, IN  
 ARA PACIS MARTI PACIFERO  
 VOTA SOLVANTUR. PAX [b] PU-  
 BLICA, quam toties dederas, per Te  
 redeat UBIQUE ÆTERNA, cùmque  
 spes FELICITATIS ORBIS (quæ unica  
 in Te est) jam sumpserit de Te fiduciam,  
 sumat & voti securitatem. Nullum Rege  
 immortalitatem promerito munus di-  
 gnus, quàm si per eum uti liceat FELICI  
 TEMPORUM REPARATIONE, AU-  
 REO que SÆCULO quod ipse redu-  
 xerit. VICTORIARUM [c] numerum  
 commendet ÆTERNITAS, nos PACIS  
 EVENTUM; illæ posteros ornent, hæc  
 NOVUM SÆCULUM: illa sit nobis  
 QUIES, Tibi BEATA TRANQUIL-  
 LITAS; Itaque non à Te procul conver-  
 D tar

---

(a) Les Victoires en Afrique 1681. & 1683. avec  
 le bombardement d'Alger. (b) La paix donnée par  
 dix fois dans le Traité de Munster, des Pyrenées,  
 d'Aix la Chapelle, &c. (c) 350. Villes prises de-  
 puis l'année 1643. jusques en l'année 1697.

74 PANEGYR. LUD. MAGNI.  
 tar ad Deum. Summe RECTOR OR-  
 BIS, REX REGUM SOSPITATOR,  
 SALUS MUNDI GENERISQUE HU-  
 MANI. Non Te MULTIS VOTIS di-  
 stringimus. Summa votorum est, ut sis  
 SPONSOR SECURITATIS, & SALUS  
 [a] AUGUSTI PRINCIPIS: nam quæ non  
 cuique illo incolumi, illo imperante SE-  
 CURITAS: Quæ sunt populis VOTA SU-  
 SCEPTA OB CONSERVATIONEM  
 SALUTIS? cum sibi precari intelligerent,  
 quidquid pro Rege precarentur. Nonne  
 ille ut SPES, ita & SALUS PUBLICA?  
 Tibi cordi sit TUTELA AUGUSTI, à  
 Te datus est, serò SIDERIBUS RECEP-  
 TUS sit, qui serò contigit terris; sic PLU-  
 RA NATALIA [b] FELICITER VI-  
 DEAT: sic Multa XXX. sic multa XXXX.  
 compleat, sic Imperii sui SÆCULARIA  
 SACRA persolvat. PROPAGINEM IM-  
 PERII interim, INVICTI PII FILIUM,  
 non tam PATRIS SEMPER VICTORI,  
 quàm LIBERIS AUGUSTIS, totique  
 ORIGINI AUGUSTÆ incolumē serva.  
 Tantis muneribus adde PERPETUITA-  
 TEM: tamque hujus JUVENTUS IM-  
 PERII ÆTERNA sit, quàm sempiterna  
 Soboles Regum.

F I N I S.

---

(a) *Vœux pour la santé du Roy 1658. & 1687.*

(b) *Vœux pour la conservation de Monsieur, & de toute la Famille Royale.*



# LUDOVICI MAGNI

FRANCIÆ, ET NAVARRÆ REGIS

LAUDATIO FUNEBRIS.

D I C T A

*In Regio ejusdem* LUDOVICI MAGNI  
Collegio A CAROLO PORREE,  
è Societate JESU.

*Prid. Id. Novemb. An. MDCCXV.*

**Q**UOD in regnis omnium  
moderator regnorum, hoc  
in Regibus, Regum idem  
arbiter omnium Deus effi-  
cere solet, cum suam in  
alterutris potentiam  
ac liberalitatem com-  
mendare ipsi visum est: CARDINALES  
EMINENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI  
ECCLESIAE PRINCIPES, PRÆSIDES  
ILLUSTRISSIMI, AMPLISSIMI SE-  
NATORES, CÆTERIQUE OMNIUM  
ORDINUM AUDITORES ORNA-  
TISSIMI. Regna quædam sic illustrat,

D 2

ut

ut in ea opes, triumphos, & ornamenta cumulatissimè congerat omnia, quæ reliquis imperiis certo finæ ac modo dividit. Reges quosdam sic ornat, ut in eos animi corporisque dotes, belli pacisque laudes, & decora liberalissimè conferat omnia, quæ cæteris principibus non avara, sed minùs larga manu distribuit. Quasi ex illis aspectabilibus Diis quosdam amet eligere, in quibus imaginem suam plenius exprimat; & expressam mortaliùm oculis ad reverentiam proponat.

Quod cum in multis antea Regibus factum legimus: tum in eo vidimus perfectum, qui Galliæ, maximo bonorum omnium luctu, ereptus est, LUDOVICUS XIV. cognomento MAGNUS: quem Deus ex antiquissima toto orbe familia nasci voluit, ut duodecim gloriam sæculorum jam inde ab ortu acciperet, & uno minùs sæculo propriis laudibus superaret: quem Gallorum votis diu renuit, ut ad miracula natus, miraculo quoque genitus intelligeretur: cui grandem infudit animam, ut haberet imperio parem: cui majestatem corporis animò dignam addidit, ut Magni cognomen ex omni parte sustineret: cui tot virtutes concessit domesticas, ut, si per eas ad solium veniretur; is, vel privatus, eò perveniret; tot regias, ut si Reges inter Rex eligendus foret, is omnium unus vel  
pri-

## LAUDATIO FUNEBRIS. 77

primus eligeretur: quem utraque fortuna probavit, ut in utraque magnus, in ultra major esset, dubium relinqueret: cui citò regnare dedit, quia nimium diu regnare non potuit: quem omnium ex omni memoria Regum diutissime imperare voluit, quia si sempiterna forent hominum imperia, imperare semper meruit.

Superba nimium Gallia, si semper imperaret is, quo regnante gloriam ipsam suam tanto superavit, quanto reliquorum famam imperiorum antea superaverat. Sed qui regna dat gentibus, & regnis Reges, idem aufert illa, & hos repetit certo ac definito tempore, ut omnes intelligant solum perpetuò regnare immortalem Deum. Hac omnibus constituta lege repetitus est, & ablatus terris, qui Galliæ ad splendorem, Religioni ad præsidium, Regibus ad exemplum, Gentibus ad spectaculum, orbi universo pene ad miraculum fuerat concessus. Quanta, quàm multiplex in uno viro omnium jactura!

Quod si privata in publico luctu damna recensere licet (& nobis certè licet, nisi malumus ingratiè timidi, quam piè audaces videri) qualem nos in Principe patronum, qualem in domino parentem amisimus, qui pro sua erga hoccè Collegium munificentia fundator ejus appellari

lari meruit; imo debuit; & pro sua erga nos benevolentia dici non recusavit!

Laudandus itaque nobis deinceps mortuus, qui toties nobis laudatus est vivus. Durum ac triste Oratoris officium in luctibus suis fieri disertum! Ingrata hodie primùm, quæ semper antehac jucundissima fuit laudandi Principis optimi necessitas! Ardua verò & operosa res de mortui laudes oratione complecti, qui omne laudum genus vita sit complexus; & quod argumentum Oratores multi, lætitia publica erecti, dum assumerent divisum, sub mole laborabant; id totum simul Oratorem unum, mœrore gemino debilitatum, in se recipere!

Non detractabo tamen onus impostum. Vires addet amor, si dolor adimet. LUDOVICUM omnium gentium suffragio Magnum, quantus, quantus fuit, exhibere conabor; & illum tripartita Oratione triplici nomine Magnum ostendere; Magnum bello, majorem Pace, Religione maximum.

Talem nuper, aliud [a] agendo, designabamus dum viveret; talem, postquam vixit, adumbramus. Nihil mortuo detrahet veritas, quia vivo nihil adjecit adulatio. Sola ejus laudes deterere potest Oratoris tenuitas; & multum sanè detereret,

---

(a) *In Oratione habita de Panegir. anno 1714.*

## LAUDATIO FUNEBRIS. 79

reret, si quid ei posset deteri, cujus effigies in omnium animis impressa ipsum exhibet totum, vel dum imago oculis proposita eundem vix aliqua sui parte repræsentat.

Istam effigiem sæpius inspicite, Auditores; & in illa multò magis, quàm in Oratione nostra LUDOVICUM ter Magnum recognoscite, amate, & lugete.

### P R I M A P A R S.

**R**egibus non una, ut militibus; non gemina, ut ducibus; sed triplex ad laudem bellicam aperitur via. Bella enim quæcumque Regni causa gesta sunt; sive illa suis auspiciis gesserint, quod Regum omnium est; sive illa consilio administraverint, quod pauciorum est; seu denique, quod paucissimorum, illa ductu ipso confecerint; ex iis gloriam omnibus solent, quodam jure suo accipere: quoniam id omne Regibus, bene, vel male cadit, quicquid regnis feliciter aut secùs evenit.

Quem triplicem veluti campum, et si fas est Oratorem ingredi, & inde palmas Heroi legere; illa tamen omittam prima auspiciatissimi regni tempora, quibus LUDOVICUS jam Rex, sed nondum imperii rector, jam exercituum dominus, sed nondum ductor, jam consiliorum



quasi caput, sed nondum moderator, bella tum externa, tum domestica, felicitate sua, virtute aliena componeret.

Licuerit Oratoribus, qui tunc temporis res Gallicas dicendo profecuti sunt, ad pedes triumphatoris pueri gratulabundos accedere, etiam sine adulationis suspicione. Licuerit bellicas Lauros ad Rupem Regiam, ad Friburgum, ad Nerolingam, alibique collectas regiae ipsius coronae attexere, sine ducum nostrorum invidia; illum ego corollis non onerabo, quas deinde jam factus auctor famae suae, & aestimator, removit à suo capite; & superioribus belli ductibus regnique administris reponendas esse declaravit. Praclarum sanè LUDOVICO fuit eas remittere laureas, quas posset meritò suas dicere; cum ejus auspiciis ita mancipata fuisset victoria, ut iidem imperatores modo victores, modo victi, prout has vel illas sequerentur partes, pugnassem quidem virtute sua duce, sed comite LUDOVICI fortuna vicisse viderentur. Facile tamen Regi fuit, qui propriis abundaret virtutibus, nihil suum ducere, quod fortunae solùm esset suae. Facile fuit abs rebus iis, quae ipsius dumtaxat gestae forent auspiciis, nolle felicem appellari, qui satis superque ab illis emereret, quas ductu suo gesserat vel consilio, ut Magnus bello praedicaretur.

Regem

## LAUDATIO FUNEBRIS. 81

Regem enim bello magnum quæ res efficiunt? Hæ opinor, magna bella, magnæ virtutes, magna facinora, magni bellorum exitus. Quæ omnia, & singula LUDOVICUS ita comprehendit unus, ut alia quidem aliis majora in eo fuerint aliquando; sed ipse in omnibus, & singulis magnus ac sibi semper æqualis extiterit.

Bellorum magnitudinem unde potissimum repetendam esse dixerimus, AUDITORES? An ex hostium numero, qui aliquando virtutem obruit? An ex virtute, quæ numerum proruit? An ex locorum diversitate, quæ vires imperii distrahit? An ex temporis diuturnitate, quæ opes atterit?

Si ex hostium numero; hostes multitudine propè innumerabiles vel soli, veb cum sociis sustinimus, qui essent ipsi nobis à lapsu sustinendi. Europa nunc æmulatione, nunc timore dominatus Gallici excitata milites in perniciem nostram toto superiore sæculo parere, & parturire visa est, semper enixa, nunquam exhausta. Ut, quod Poetæ commenti sunt ex fatis Draconis dentibus natos esse armatos homines, illud de sepultis hostium ossibus credere fermè liceat, inde novos prodiisse exercitus, qui non in se, ut illi terrigenæ fratres, sed in nos arma converterent.

D §

Si

## 32 LUDOVICI MAGNI

Si virtus bellica spectetur; dimicandum fuit cum gentibus virtute quidem ut ingenio diversis, sed utroque metuendis.

Cum gente imperiosa; hoc est, quæ uno contenta Rege, regnis pluribus contenta non est; cujus ditio in utrumque orbem late diffunditur, animus ipsa ditione latius extenditur: quæ nos usque habuit æmulos, donec haberet socios: quæ dominum à nobis quidem accepit volens, sed ipsa dominos antea dare nobis voluit invitis; & se daturam aliquando speravit.

Cum populo Gallos inter atque Italos ut locorum situ, ita fortitudine, & caliditate medio; & ad alteram, ubi altera minùs proficit, facilè converso.

Cum natione tot militum fœcunda, quot virorum; quæ cum robustissima sit corpore, non minùs animi vi certat, quàm robore corporis: quæ cum valentissima sit imperio, in nos sæpe tota imperii mole incumbit: quæ cum libertatis retinentissima semper fuerit, inimicis Gallici nominis mancipare se promptissima semper est, & libertatem sæpe amittit, vano amittendi metu.

Cum Insularum incolis pugnae avidis, temerè pugnacibus, feliciter temerariis; qui nisi nos vincerent aliquando, essemus invicti; nisi à nobis vincerentur, essent insuperabiles.

Cum

## LAUDATIO FUNEBRIS. 83

Cum Republica, cujus potentia, velut illa Romana, à levibus principiis exorsa crevit in imensum: quæ in angulo terræ posita, & maris arctata fluctibus, terra marique longè ac latè dominatur. Quæ opes novi orbis colligit, ne à veteri accipiat leges: quæ virorum infœcunda, nunquam non abundat militibus; quæ pro suis semper commodis certat, periculis fere alienis; nunquam auxilii certior, quam cum opis egentior; à nullis magis defensa, quàm ab iis, quibus maximè infensa; nusquam magis tuta, quam ubi aquis demersa.

Cum Barbaris denique, & peregrinis gentibus cupiditate prædæ inflammatis, navium celeritate securis, litorum asperitate munitis, odio Christiani nominis inexpugnabili armatis; seu vincant, seu vincantur, semper inimicis, nunquam pacatis.

Jam vero si ex locorum diversitate bellum æstimetur; quàm variis sive terra, sive mari locis sumus appetiti? Ingruentibus à dextra, a sinistra, à tergo, à fronte exercitibus; ut vario multiplicique distracti periculo, dum petitiones omnes effugere volumus, pateremus omnibus; & modò his, modò illis nudum aut minùs tectum latus obiiceremus.

Si ex bellorum diuturnitate rem metiemur: quàm longa, aut quàm multa

nobis bella quasi serie perpetua incubuerunt? Non alia ex aliis nasci, sed aliis alia inferi diceres; neque gentem unam campo cedere, nisi ut altera in ejus locum succederet. Ut non magis Herculi nostro, quàm illi Thebano, clavam deponere, & ad tempus connivere somno licuerit.

Ad hæc porro bella tam diuturna, tam diversa, ex tam numerosis, tam bellicosis hõstibus conflata quas LUDOVICUS virtutes attulit? Quas, & quantas bellorum magnitudo postulavit. Fortitudinem animi, quæ nihil non auderet: Providentiam, quæ nihil non caveret: Sagacitatem, quæ aliena consilia exploraret: Prudentiam, quæ sua tegeret: Celeritatem, quæ hostium festinationem anteverteret: Constantiam, quæ ipsorum pertinaciam expugnaret: Clementiam, quæ victoriam ipsam vinceret: Firmitatem præterea corporis nullis inflectendam equitandi aut vigilandi laboribus, nullis resolvendam æstus caloribus, nullis hyemis frigoribus infringendam.

His ille dum procedit ad bellum comitatus virtutibus, quarum pars antevolat duce providentia, pars adhæret lateri ut sequitur, agmen claudente victoria, quanta interim populis vias hinc inde obsidentibus læticia! quanta hostibus longè prospicientibus trepidatio! quanta  
exerc-

## LAUDATIO FUNEBRIS. 85.

exercitibus nostris ducem in Rege accipientibus fiducia! si stetit ille, stant undique metu attonitæ urbes: si movetur, nutant pavore arcès: si progreditur, omnia venienti cedunt: pontem accipiunt amnes: viam aperiunt saltus: juga demittunt montes: claustra referant provinciæ. Ubi verò quò destinavit, eò pervenit & continuò explicat se omnis virtutum ordo; accingitur operi; & ea renovat facinora, quæ admirata est antiquitas; ea patrat, quæ omnis admirabitur posteritas, vix ulla imitando consequetur.

Admirata est Mæsia flumen altissimum, obsistente Persa, à Macedonibus tranatum, sine exemplo. Duplicavit exemplum LUDOVICUS exercitu trans Rhenum trajecto, repugnante Batavo; & priori miraculo fidem adjecit, admirationem abstulit.

Admirata est Asia Petram, quæ solis videretur avibus superabilis, clam, & tacitè ab aliquot militibus superatam. LUDOVICUS in arcem Vesuntionis undique præruptam Gallos media luce intercrepitantia fulmina transportavit; & Victoriàm ostendit non minùs sibi, quàm Alexandro pernatam famulari.

Admirata est Hispania expugnatas à Romanis arcès, quæ dicerentur inexpugnabiles. LUDOVICUS Belgii propugnacula expugnando fecit, ne qua deinde  
 arx

## 86 LUDOVICI MAGNI

arx dici auderet inexpugnabilis.

Admirata est Græcia tot urbes ab uno Demetrio captas, ut ipsi expugnationis nomen addiderit. LUDOVICUS plures una hyeme cepit munitas urbes, quam ille tota vita viderit.

Admiratus est aliquando Cæsar tantam in vincendo celeritatem suam, ut veritus ne diutiùs narraret, quàm pugnaverit, tribus omnino verbis rem totam comprehenderit, *veni, vidi, vici*. LUDOVICUS Bataviam vix dum ingressus, nondum viderat, nondum venerat, jam vicerat.

Dicat præterea quid admirata sit antiquitas; & miracula miraculis reponemus, vel potius videat nostra; obstupescat, & fileat.

At enim optaretis forsitan (quoniam in iis, quos amamus, vel admiramur, vota plerunque ultra modum extendimus) optaretis ad hæc tanta LUDOVICI facinora, prostratas campis acies, & exercitus inrernecone deletos adiici. At nolite vobiscum pugnare votis, AUDITORES, nolite sublato LUDOVICO id optare unum, quod eo vivo unum extimulistis. Timuit enimvero Gallia, & proficiscente ad bella Rege suo semper timuit, ne collatis cum hoste signis dimicaret. Meminerat, nec sine horroris sensu recordabatur, quoties ille in obsidendis

## LAUDATIO FUNEBRIS. 87

dendis urbibus, dum opera lustrat, & promovet, dum exemplo præit, & excitat, in capitis periculum venerit; & ipsa cum capite suo, hoc est cum Rege, periclitata sit. Timebat, quæ nihil ab hoste suis provinciis metueret, ne laude bellica jam cumulatus Heros, sed, ut laudis natura fert, nondum satiatus, novam Martis aleam tentaret. Gratia optimo Regnorum, & Regum custodi Deo, quod idem hosti, & Galliarum metus incubuerit, & quantum ista Regis capiti, tantum ille sibi à Regis manu timuerit. Gratia hosti bene provideo, quod adventante LUDOVICO semper fugerit, & fuga salutis suæ securitati nostræ consuluerit. Gratia multò magis LUDOVICO, quod desiderium vincendi suum amore metuque nostro non debilitari, sed comprimi permiserit: quod intellexerit aliter Henrico Magno, dum regnum quærit, & comparat, aliter sibi, dum Regni fines tuetur vel amplificat, bellandum fuisse: quod se demum satis vicisse senserit, ut superbissimis illis gentium victoribus nihil invideret. Et verò sic ille vicerat, ut nemo dubitaret, quin eorum præcipitem impetum posset assequi, si vellet: sic ii vicerant, ut meritò dubitares, utrum maturam ejus in agendo celeritatem, ut maxime vellent, consequi potuissent.

Sed



Sed neque lauris acie instructa demessis LUDOVICUS caruit. Quodcumque solum à militibus nostris, eo mittente, pressum est, illud felicem sylvam sub vestigiis triumphalibus protulit. Lauros in suis campis Flandria, in suis finibus atque adeò in sinu suo Germania, in suis rupibus Catalania, in suis vallibus Sabaudia, in suis montibus Italia, in suis litoribus Africa, in suis insulis America, in suis etiam vadis Oceanus peperit; soli naturam, cœli rigorem, tempestatis inclementiam ubique vincente Gallo, qui non LUDOVICI quidem ductu, sed consilio, & auspiciis dum pugnaret, omnia vinceret. Collectam tot locis segetem Regi suo miles redux obtulit, pretiosum munus, sed debitum.

Neque verò illorum dumtaxat fuit laurea, qui messuerant; sed ejus quoque fuit maximè, qui manus ad metendum idoneas elegerat; qui delectas ferro armaverat; qui armatas direxerat consilio; qui ad ferendum applicuerat imperio; qui ferientes virtute sua roboraverat. Ejus denique fuit, qui tùm ageret in castris, cùm in aula cessare videretur; qui exercitus suos movebat immotus; regebat absens; & ipsos præliorum casus, quantum humana prudentia potest, mente nutuque moderabatur.

Hinc adeò bellorum exitus, qui potissimum

LAUDATIO FUNEBRIS. 89

fitnùm in ducibus spectari solent ( tametsi magnos imperatores non tam faciunt, quàm probant, vel commendant ) **LU-DOVICUS** habuit ita felices, ut quamvis aliquando victus, postquam abfuit à castris, nunquam arma, nisi victor, posuerit; ita celeres, ut Provincias uno mense, una hebdomada, uno die occupaverit; ita inexpectatos, ut & hostium metum, & spem nostram sæpe vicerit; ita incredibiles, ut non modò priusquam ageret, sed etiam cùm egerat, fidem propè superaverit; ita immensos, ut omnia prosperorum eventum genera intra dominatus sui tempora concluderet.

Cujus rei testes erunt ad omnium ætatum memoriam, unius Regis ductu vel consilio, captæ urbes amplius ducentæ; profligati exercitus supra viginti; adjectæ regno Provinciæ complures; confirmati in solio Reges; dissipatæ ferrogentes; domitæ Respublicæ duæ, & altera solo obsequio, altera solo naufragio ab interitu servata; Europa trophæis insignita; Africa fulminibus ambusta; America suis coloniis asserta; totus denique terrarum orbis fortitudinis Gallicæ fama peragratus, & territus vel conciliatus.

**LUDOVICUM** itaque propter illam, & bellorum quæ sustinuit, & virtutum quas exhibuit, & facinorum quæ gessit,  
& even-

& eventuum quos habuit, magnitudinem, bello magnum agnoscant omnes eodem cognomine donati Imperatores. Magnum agnoscat Alexander plurium dōmitor gentium, sed minùs bellicosarum: Magnum Carolus ampliorum victor regionum, sed minùs defenfarum: Magnum Henricus recuperator imperii, sed non amplificator: Magnum & ille Pompeius, qui triumphare citiùs cœpit, sed maturiùs desiit. Magnum bello admirantur omnes, quotquot fuerunt ipsi bello admirabiles. Nos majorem pacem amemus: & ereptum nobis Regem Pacificum, altera orationis parte, lugeamus.

### S E C U N D A P A R S :

**C**UM tanta sit pacificas inter bellicasque virtutes disjunctio, quanta pacem inter bellumque discordia esse intelligitur; mirabitur credo aliquis, quomodo is pace magnus, nedum major dici verè possit, qui magnus bello fuerit jure appellatus. Admirari hoc sanè liceat [ si tamen reperire licet ] in vulgaribus Heroum animis. Nam & Heroum quoque ipsorum quoddam vulgus est, quorum plerique ita fulgent in castrensi pulvere, ut in aulico splendore obsolescant: Heroes foris, domi vix homines; nunquam  
admi-

LAUDATIO FUNEBRIS. 91

admirandi, nisi fuissent formidandi; nunquam fortè magni, nisi fuissent immanes.

At verò existunt; aut certè extitit ingentis cujusdam animi vir, qui cum arma nunquam exueret nisi victor hostium, quos fortitudine primùm, deinde clementia debellaverat; nisi victor animi, cujus impetum in ipso victoriarum cursu continuerat; nisi victus caritate populorum, quam gloriæ suæ anteposuerat, sic uteretur otio aliis concesso vel imperato, ut pace quàm bello major dici mereretur.

Magnum equidem fuerat propagare fines imperii: sed majus illius augere vel reparare vires. Magnum leges imponere hostibus; sed majus populos emendare legibus. Magnum insignire Europam trophæis; sed majus ornare Galliam artibus. Ad illud bello fuerat usus, ad hoc pace usus est LUDOVICUS, tantò majori cum laude, quantò externæ imperii gloriæ præstat domesticus splendor, & Regni amplitudini, ipsa regni incolumitas.

Frustra vi armorum propagatur imperium foris, nisi fructibus pacis intus reficiatur. Dum longè protendit fines, ejus plerunque decrescunt vires, & exhauriuntur. Idemque ferè bellicosis gentibus evenit, quod arboribus generosis: quò

## 92 LUDOVICI MAGNI

quò brachia latiùs explicant, hoc minùs robore invalescunt.

Ut autem vires reparentur imperii, & augeantur, non satis est illud pace quiescere, nisi commercii beneficio novas accipiat opes, quæ per omnes regni provincias, veluti succus per omnes arboris ramos uberiùs diffundantur. Hoc intellexit Rex pacificus; huc mentem appulit: & quoniam id præstant in regno fluvii, quod fibræ in arbore, illud curavit primum, ut fierent ii, quantum natura pareretur, vehendis ultro citroque mercibus idonei. Ergo qui modò fluminum altitudinem exploraverat, ut bellica instrumenta transportaret; idem mox exploravit amnes, ut pacis commoda circumquaque traduceret. Qui undas ex alveis deductas in rivulos diviserat, ut evertendis arcibus aditum reperiret; mox collectas è rivis aquas in canales induxit, ut alendis urbibus commeatus inveheret. Qui maria suis classibus intercluserat; mox Mediterraneo commisit Oceanum mari, submotis longissimo spatio terris, excavatis non sine miraculo rupibus. Magnum opus! quod natura sociavit, illud dissolvere; quod distraxit, illud conjungere. Dignum opus Cæsaribus! si forent ipsi naturam digni vincere Cæsares. Reservatum opus LUDOVICO! cujus erat  
in

## LAUDATIO FUNEBRIS. 95

in fatis miracula à potentissimis illis mundi dominis tentata sapius, & relicta, moliri simul, & perficere.

Fruebatur interim Gallia suis opibus per fluvios, per mare, è provinciis in provincias liberè commeantibus, sicque rerum per se fœcunda erat omnium, ut illa agrè carerent cæteræ nationes; his ipsa facilè careret. Ex quo præsertim tempore lanificia è vicinis gentibus ad nos LUDOVICUS acciverat, Gallosque probaverat utrisque Minervæ studiis aptos esse; posse illos ut ensem fortiter, sic acum tractare solerter; & utraque laude vincere. Ne quid tamen ad copiam defset, externas opes apud nos desiderari passus non est. Indiam mercatoribus nostris utramque aperuit. Illorum excitavit audaciam; acuit industriam; fortunam adjuvit. Illos munivit edictis in Gallia, navibus in Oceano, coloniis, & propugnaculis in peregrino litore, ubique gentium, amore nominis sui vel terrore, vallavit. Abjerunt illi tanto freti præsidio; maria securi objerunt; in longinquas regiones penetrarunt; merces mercibus commutarunt; & Galliam in Indias transferentes quodammodo, Indias in Galliam subinde referentes, tantum auri argentique advexerunt, ut nisi opes ad communem gentis usum traducendas avidiùs colligeret avaritia, & humanis usibus

usibus invideret, vix unus aliquis in regno incolis frequentissimo inopiam nisi ex copia ipsa cognosceret.

Pergite tamen viri de patria optimè meriti, pergite novis nec simplicibus auspiciis de illa bene mereri. Auspicia novi Regis, & sua vobis commodat Princeps, qui ad regimen Galliarum non uno venit nomine; & Galliam non una virtute regit: qui dum salutem consulit publicam, hoc unum timere finit, ne minus parcat suam, qua salus publica continetur: qui sic Regem instituit exemplis, sic regnum reficit curis, ut & optimum regno Regem, & regnum Regi optimum comparet: qui populorum amores colligit, ut pupillo regnanti tradat, partem regni longè optimam; & tradendo retineat, mercedem laborum unicam, & unicè quaesitam.

Pergite, inquam; & in quascunque terras appuleritis, luctus nostros docete; solatia nostra ne filete. Dicite LUDOVICUM MAGNUM vixisse; hoc uno appellato nomine damna nostra gentes intelligent. Dicite Philippum Galliarum Rectorem esse; & hoc audito nomine Principem intelligent manu fortem, ingenio magnum, consilii plenum, belli studiis nobilem, pacis artibus egregium, tam pace quam bello vitam pro patria prodigum, auctoritate dominum, popularitate civem, Imperio regendo habilem,

LAUDATIO FUNEBRIS. 95

lem, habendo idoneum. Hæc intelligent gentes, & oblata nobis in tanto principe solatia gratulentur, si nos amant; neque gratulentur solùm, sed & illo tutore, & auspice commercia foveant à LUDOVICO instituta; qui nos omnibus conjunxerat gentibus, ut Galliæ vires augetet pace, vel repararet; amandus, quòd semper voluerit; laudandus, quòd sæpe fecerit; excusandus, quòd aliquando non potuerit; nec minùs amore dignus, & laude, quòd populos legibus emendaverit.

Illà vulgò, & temporum diuturnitate, quæ firmissima quæque dissolvit, & armorum licentia, quæ sanctissima quæque corrumpit, regnis importatur calamitas, ut disciplinæ domesticæ vincula, nisi adstringantur diligentius, paulatim relaxentur; ac dum leges accipiunt hostes, ipsi legibus eximant sese populi; & multa contra jus alii faciant, alii patiantur.

Malè igitur Macedoniæ suæ consulēbat ille Asiæ domitor, Rex nulli forsitan imitabilis, sed neque imitandus, qui longè vagatus jura imponeret alienis, dare suis omitteret.

Non ita LUDOVICUS. Ense Martis recondito, Justitiæ gladium accepit Rex justissimus, & in vitia ex otio, vel è tumultu nata vim legum exervit.

Gliscebatur in dies sæpe compressus, semper



per resurgens singularium certaminum furor; nec vili, sed nobilissimo regni sanguine palcebatur. Hostes quærebat domi, qui abessent foris; prælia indicebat sine jure; pugnabat sine modo; vincebat sine triumpho; sed vincebat impunè; & ipsa impunitas triumphii locum obtinebat. LUDOVICUS pœnas victoribus victisque constituit, hoc ampliores, quòd ad vivos mortuosque pertinerent; hoc graviores, quòd essent cum infamia conjunctæ; hoc minùs eluctabiles, quòd omnis veniæ spes sacramento regio tolleretur. Sicque ignominia metu coacti sunt vivere, quos opprobrii timor cogeret mori.

Abutebantur potentia sua quibusdam in locis viri Nobiles, tantùm sibi licere rati, quantùm se posse considerent. LUDOVICUS eorum coercuit impotentiam; & in eo regno, ubi summorum pariter, & infimorum dominus ac tutor foret, nihil posse quemquam, vel audere voluit, nisi quantùm liceret. Atque ita cavuit, ne aut tenuitatem premeret nobilitas; aut adversùs nobilitatem insurgeret pressa tenuitas; aut altera noceret alteri, vel invideret.

Dominabatur alicubi in judiciis gratia vel avaritia. Nec sic Themis velum prætendebat oculis, ut ne manus nimis liberaliter supplices videret; nec sic æquabat lacens,

lances, ut ne altera pretioso pondere labarèt; nec sic gladium stringebat, ut ne dextra male pertinaci deflueret. LUDOVICUS ex incorrupto illo, & inflexo Parisiensi Senatu delegit Judices, qui provincias obirent cum potestate; qui de judiciis ipsis judicarent æquitate pari, & auctoritate; & iniqua emendarent, laxa coercerent, corrupta rescinderent. Quæ re provisum est, ne, quæ summa iniquitas est, jus ad injuriam verteretur.

Texebantur in foro litium ambages immensæ, quibus sæpe irretiti clientes nullum reperirent salutis exitum; & vel persequendo jure suo defessi, illud assequerentur nunquam; vel illud assequendo exhausti, nihil se demum consecutos esse deprehenderent LUDOVICUS novo codice lato novam obtinendi juris sui formam aperuit, sine ambagibus expeditam; sine circuitu brevem, sine errore certam, sine discrimine omnibus tenendam. Nec recusavit ipse toto trimestri spatio omnia supremi Magistratus munia obire solus, & qua manu sceptrum gerebat, eadem sigilli fidem imprimere: ut ostenderet, quam bene cum Regni administratione juris tractatio conveniret; quanta utriusque non dignitas modo, sed quasi societas esset: atque intelligerent omnes in Gallia si minus Judices

E regnare,

regnare, at Regem judicare.

Ut vigent opibus; ut stant legibus; ita florent artibus Imperia: multoque magis harum operibus, quàm triumphorum insignibus ornantur. Squalluit mundi caput Roma, dum sola terrarum ultima trophæis illustraret; tuncque pro dignitate Imperii splendere primùm visa est, cùm Augustus qui (a) *Lateritiam* acceperat; diuturna pace *marmoream* fecit.

Et si autem nulla tempestate artes in Gallia jacere passus est Rex omni tempore artium patronus; illas tamen pace potissimùm coluit, & amplexus est; atque ita est amplexus, quasi pacificas artes unicè diligeret; ita coluit, ut nec ulla ætate illæ, nec ulla ætas ab eis tantum splendoris acceperit.

Extiterunt quidem Ptolemæi, & Philippi, qui artes ingenuas benignissimè foverent; sed alii alias, nemo omnes. LUDOVICUS Ptolemæis, & Philippis benignior omnes benevolentia comprehendit, sive manu, sive ingenio perficerentur; & nullas tutela excludi voluit, qui omnes tueri potuit.

Reperti sunt Trajani, & Constantini, qui oblatas ultrò, & apud se natas humanissimè tractarent. Hic Trajanis, & Constantinis humanior exules quoque  
vel

---

(a) *Sueton. in Aug.*

## LAUDATIO FUNEBRIS. 99

vel peregrinas evocavit ad sese, & dignas existimavit, non modo quæ acciperentur comiter, cùm se offerrent: sed etiam quæ, cùm abessent, amicissimè invitarentur.

Inventi sunt Caroli, & Francisci, qui sive natas domi sive aliunde accitas tamdiu liberalissimè alerent, dum illas hospites haberent. Hic Carolis, & Francisci liberalior externas quoque, & in aliena ditione commorantes munificentia sua sustentavit; & earum voluit dici pater, quarum non posset vocari Princeps.

Non defuerunt Antonini, & Andronici, qui admissas in palatium collocarent honorificè, & sibi assidere aliquando juberent. Hic Antoninis, & Andronicis in honorandis artibus prolixior sedem illis propriam fixit in palatio; & regiè habitare dedit, quibus regnare dederat.

Fuerunt varia ætate locupletes artium patroni, qui eis domicilia ponerent, vestigalia attribuerent, præmia proponerent. Hic cæteris locupletior patronis, & omnia largitus est, quæ largiri multorum est; & hoc addidit, quod is ferme unus dare potuit, materiam singulis amplissimam de suo, & eximium operis argumentum.

Quantam enim eloquentiæ Gallicæ in virtutibus suis laudum segetem; quantam

Historiæ rerum præclarè gestarum copiam; quantam Inscriptionum Academiae titulorum varietatem; quantam Poeticæ miraculorum ubertatem; Statuariæ vero, & Picturæ quàm absolutam Herois speciem obtulit?

Tametsi omnes de te, LUDOVICE, artes sæpe conquerentes audivimus. Querebatur Pictura nullis posse coloribus istam oris dignitatem adumbrari. Querebatur Statuaria nullo marmore istam vultus ac totius corporis majestatem recipi. Querebatur Poetica nullam sibi in tot prodigiis fingendi laudem relinquere. Querebatur Inscriptionum Academia nullis te satis dignis nominibus inscribi. Querebatur Historia tuis gestis incredibilibus sibi fidem abrogari. Ipsa querebatur Lingua Gallica virtutum tuarum numero, & magnitudine omnem vocum suarum vim, & copiam exhauriri. Omnes denique conquerebantur artes, quod per te locupletatæ in te ornando essent inopes; & quod mancas muraeque in te faceres, qui feceras in cæteris omnibus habiles, & disertas. Se tamen ingratas videri negabant posse; imò bene de te meritas prædicabant: quoniam etsi ornare te non potuerant, qui à te omnia, nihil ab arte ornamentum acciperes, tuam certè ornaverant Galliam; quod unum expe-  
tebas.

Respi-

## LAUDATIO FUNEBRIS. 107

Respiciat enim illa se; & omnium gentium facta spectaculum ipsa contemplari se amet. Videat adjectam ædibus magnificentiam, hortis amœnitatem, urbibus splendorem, sermionibus elegantiam, scriptis venustatem, cantibus suavitatem, telis & saxis animam, omnibus omnis generis monumentis dignitatem. Videat impositas arces finibus, portus additos litoribus, naves portibus, nautas navibus, nautis disciplinas. Videat invec̄ta montibus flumina, infusa terris maria, adscripta recens cœlo sidera; hæc videat; & nihil Romæ invideat, quæ Augusto Principe non tot aluit artes; nihil Græciæ, quæ tam brevi tempore non tot instituit artifices; nihil reliquo terrarum orbi, qui vix, quantus quantus est, tam varia operum miracula complectitur. Hæc omnia debet artibus illa quidem, & artificibus; sed artes ipsas ipsosque artifices LUDOVICO debet, qui non diuturna pace, ut Cæsarum alter, sed exiguis sic usus est bellorum intervallis, ut Galliam tum augendo viribus, quantum potuit; tum emendando legibus, quantum debuit; tum verò artibus ornando, quantum fermè voluit, pace quam bello major videri meruit.

Et sanè talem admirati sunt, sive Principes, qui ex variis Europæ regnis, sive Legati, qui ex ultimis mundi regionibus,

ad cum multò plures, quàm olim ad Augustum adjerunt. Utrique Regis, & Regni fama exciti venerunt. Regnum ex Rege æstimaverant, antequam venirent: Regem ex ipso Regno, postquam venerant, ac demum alterum ex altero, æstimaverunt; & Regnum opibus florentissimum, legibus fundatissimum, artibus ornatissimum contemplati; Regem verò formidatum foris, & amatum domi, sic regentem imperium ut familiam, summa clementia; sic familiæ ut regno moderantem, summa auctoritate; fuscum sua sapientia per omnes regni partes, velut animam per corpus; & omnes regni ordines, velut ejusdem corporis membra, communi sociantem vinculo, & uno spiritu moventem, conspicati ac venerati, famam in utroque, hoc est in Rege, & Regno, non mendacii, sed silentii arguerunt: quòd, non plura veris, ut solet, sed longè pauciora de utroque narraverat. LUDOVICUM bello magnum audierant; pace majorem viderunt. Nos Religione maximum vidimus, & Regem nomine ac re Christianissimum tertiam orationis parte lugemus.



TER.

## T E R T I A P A R S .

**C**UM omnibus Christianis hominibus Religione magnis esse fas est; quia Religio ipsa magnos facit: tum Regibus hac licet esse maximis: quia possunt ipsi maxima Religionis causa facere. Neque id aliquo solum vitæ tempore, sed quando regnant Quo etiam altero ex capite, qui magni pace vel bello fuerint, possunt fieri Religione maximi. Bellum enim, & Pax ita partem sibi vindicant in vita Principis, ut sese mutuo excludant: Religio totam Christiani Regis vitam ita postulat, ut nulla ejus parte excludi debeat. Quo utroque nomine maximus Religione fuit LUDOVICUS, qui & maxima, & toto vitæ tempore Religionis causa fecit; sive dum illam vindicaret edictis; sive dum amplificaret beneficiis; sive dum exemplis illustraret.

Mirum fortè vobis, Oratores sacri, at non molestum, credo, accidet, quòd ego, aliam à vestra dicendi rationem secutus, Regem exhibeam quoque Religione maximum. Messis hæc nostra omnium est; omnibus in hanc licitum est falcem iniicere. Neque, si vestra præcipuo quodam jure sit, nos tamen ab ea per vos severius arceri debeat. Qui ex nostra segete bellica tantum assumitis; è sacra messe vestra, tam præsertim ubere, aliquid decerpi concedite. Au-



Auctoritate sibi à Deo credita Regem uti, majestatem ut asserat suam, hoc regium quidem est, sed humanum. Illam adhibere ad vindicandam Dei Religionem, id verò regium ac propè divinum est. Eò vertit auctoritatem suam Rex Christianissimus, quo primùm die illam per ætatem obtinuit, & ejus exrendæ facultatem habuit. Sedit ille in Augustissimo Senatu, more majorum, ac non tam sibi quàm supremo Numini asferturus reverentiam.

Homines audierat sanctissimum Dei nomen usurpare ad contumeliam, & ipsum invocando provocare. Illorum temeritatem sacrilegam non tulit LUDOVICI IX. hæres & nepos, ætate disjunctissimus, pietate proximus; & gravissimum in eos edictum promulgavit. Quo edicto omnium primo, & impia clausit ora, & os ipse suum pietati consecravit. Omen accepit Religio, & optimè sperare cœpit. Omen vidit Hæresis, & si quid provideret, malè augurari debuit.

Illam jam inde à sæculo; eoque amplius, in Regni Cristianissimi gremio partu infelici procreata; & à tenebris natalibus in apertam lucem educta; à vulgi studiis ad nobilium gratiam provecta, ab humilibus obsequiis ad armatas preces, & ad cædes denique progressa, nihil in doctrina sincerum, nihil in moribus integrum,  
nihil

LAUDATIO FUNEBRIS. 109

nihil in legibus inviolatum, nihil in sacris impollutum, nihil in toto regno inconcussum reliquerat. Huc nimirum pertinere solet egregium illud novandi, & emendandi studium! status regni convellitur; Religionis facies deformatur.

Has quidem injurias Ecclesiæ parenti optimæ illatas doluerunt, ut decuit, Filiū ejus Primogeniti; & quantum in se fuit, ulcisci voluerant; sed crebris licet confossa vulneribus hæresis, spirabat tamen in intimis Galliæ visceribus; & suis ipsa cladibus superstes omnia triumphorum insignia retinebat. Grassabatur in regno contemptrix Regum; sedebat in foro violatrix legum; delubra incolebat perniciēs templorum; & aras aris, sacra sacris conjungebat in eodem solo, & opponebat, sanctissimæ Religionis æmula pariter & socia, hospes simul & inimica, ò pudor! hæc posita de se trophæa Religio videbat, ò dolor! & præcibus lacrymisque vindicem implorabat.

Adfuit LUDOVICUS, qui grassantem belluam legum vinculis coerceret, & capita exerentem modò hoc, modò illo capite truncaret. Sed illa rumpebat laqueos, & uno capite abscisso novum illico proferebat. Sensit pius nec fabulosus monstrorum domitor vivacem hydram usque, & usque in Religionis damna pullulare. Timuit vinci; & hoc magis timuit, quòd

E 5

non

non sibi, sed Deo vellet vincere. Artes opposuit artibus, sanctas impiis. Statuit uno ictu omnia simul fertilis monstri capita resecare. Arduum verò consilium; & iis omnibus, quæ bello vel pace gesserat, facinoribus longè operosius: sed hoc magis eo dignum Principe, qui Religione mallet, quam pace vel bello, videri, & esse maximus.

Non illum à proposito revocaverunt edicta quædam regia, quibus Novitas muniebatur: illa per iniquitatem temporum extorta intelligebat; & ad tempus concessa; nec semel per impiam temeritatem violata viderat. Non illum infregerunt objæti metus: id unum timuit, vel potius cavet, ne quid sibi in causa Dei timeret; & Novitatem ipsam sciebat nunquam magis timendam esse, quàm cum timeri se consideret. Non illum, fefellerunt dolosa ejus obsequia: illam noverat tandiu fermè obsequi, quàm rebellare non auderet. Non illum moverunt præstita olim, & sæpe jactata superbiùs officia: illam compererat nunquam bene regibus fecisse, nisi ut regno male facere impunè posset. Non illum inflexerunt habendæ de sublata libertate querimonix: tùm bene libertati publicæ consultum fore credidit, si pereundi licentiam è medio sustulisset. Non illum deterruerunt spargendi tàm audacter, quàm

**LAUDATIO FUNEBRIS. 107**

quàm malignè de nimia ipsius severitate  
rumores: satis se, cunctando, hortando,  
invitando, severitatis absolverat. Non  
illum denique retardaverunt virorum  
multa de rei eventu malè ominantium  
terrores. Valeant inconsulta hominum  
minùs, quia nimis prudentum, auguria.  
Vaticinium LUDOVICO certum Reli-  
gionis vox: loquitur illa, hic audit: cala-  
mus exeritur, non gladius: edictis pugna-  
tur; edictis vincitur.

Rex jubet; & omnia Impietatis Tem-  
pla repentè corruunt: vetat; & decies  
centena hominum millia ritus profanos  
deserunt: proscribit, & hæresis toto,  
quaqua patet regno, exulat: decernit;  
& quod multi reges potentissimi, con-  
tentionibus præliorum maximis, longis-  
simo annorum spatio consequi non po-  
tuerant, id Rex unus, uno die, uno edi-  
cto exequitur. O pietatem LUDOVICI  
admirabilem! ò potentiam cum ipsa  
pietate de miraculis certantem! hominem  
diceres (si dicere fas est) in destruendo  
æmulari divinam in creando celeritatem.  
Adeste Clodovæi, Ludovici, Philippi,  
ceterique reges nostri Religione magni,  
adeste: & nepotis vestri Religione maxi-  
mi triumphos, si quid pietas invideret,  
vobis invidendos conspicite.

At ecce peregrina, quamquam è Cal-  
viniano prognata semine, advehitur No-

Vitas; & è belgio in Galliam pestis refunditur. Matris pessimæ soboles pessima, nec inficianda matri, quamvis ipsa matrem ejaret. Ambæ neque similes prorsus, neque dissimiles; sic, ut in diversis moribus eandem faciliè naturam agnoscas. Illa ferox, & temeritate præcepta; hæc timida, & metu cauta. Illa se latè dominari prædicans: hæc se nusquam esse mentiens. Illa clamoribus insanis pugna: hæc ipso defensa silentio. Utraque (ut plura omittam quibus alteri cum altera minùs magisve convenit) utraque simulandi, & dissimulandi artificio pene par; & hoc maximè similis, quòd sit pro varia temporum ratione sui maximè dissimilis.

Hic etiam tua, LUDOVICE, manus vindex poscitur. Nec sibi nec Religioni deerit Rex in suscepta defensione constantissimus. Alteram hanc novitiam, sed minimè rudem hæresim, quibus licet armis impugnabit. Ista, vel ut certiùs fallat, vel ut tutiùs lateat, intra Ecclesiæ septa se continet, ipsam Ecclesiæ telis iterum atque iterum configendam tradet. Ista totis sexaginta annis Summorum Pontificum, & Cleri Gallicani decreta explodet, vel eludet: Ille sanctissimis decretis edicta regia tandiu adiiciet; & auctoritatem alteram cum altera pio fœdere conjunget. Ista nihil fraudum omit-

ret,

## LAUDATIO FUNEBRIS. 189

tet, quo in Gallia tanquam in materna possessione sedem, & cubile figat: ille nihil omittet consiliorum, quo ipsam, sicuti matrem ejus, tota Gallia eiiciat, & exterminet.

Tuum est, Deus optimorum dator, & effector consiliorum, illud perficere quod ipsi dederas velle; quod quandiu vixit, voluit; quod & superiore, & hoc sæculo ita inchoavit, ut cum perficietur, ejus quoque opera perfici meritò censeatur. Sicque de Belgica Novitate, quam multiplici vulnere confixit vivus, triumphet etiam mortuus.

Et sanè jam triumphasset diu; & altero post illum anno exorta, dudum ante ipsum, & per ipsum extincta foret hæresis, si tam hæc fuisset elidi facilis, quàm tertia illa pestis malè feriata, impiè otiosa, in sordibus quieta, quæ vix caput extulit, cum evanuit. Quasi ex Italia in Galliam ideo tantum irrepsisset ut, quod Calviniana secta fuerat experta, quod experiebatur Janseniana, illud Molinosiana experiretur, nullam in eo regno hæresim bene quiescere, in quo regnaret LUDOVICUS Religionis vindex irrequietus.

Religionem ut vindicare possint Reges, sua facit auctoritas: ut possint amplificare, dat regia facultas: ut quod possunt,  
sunt,

## RE LUDOVICI MAGNI

sunt, id velint, suadet ipsa Religio: quæ Principum liberalitatem non ambit sollicitè, sed tacitè provocat, & si amatur, vel tacita auditur. Illam audit vel tacitam, vel absentem, & exaudiit Rex erga omnes liberalis, erga ipsam, omni loco, & tempore munificus: dicerem prodigum, nisi verbum hoc removeret Pietas, quæ dona sua ex ipsa dandi voluntate æstimans, vix sibi in dando satisfacit.

Quod enim unquam vel usquam muneris in Religionem ab eo prætermisum est, qui templa amplius trecenta illi excitavit in ipsis Calvinianarum ædium ruinis; ut gemino lætaretur triumpho, & quòd illæ ceciderant, & quòd istæ surgerent? Qui nefariæ sectæ Magistris ab errore ad veram fidem revocatis census annuos attribuit, ne faciendo bonos, videretur fecisse miseros. Qui regales aut regalibus supparet domos extruxit vagis pauperibus, ne in vitium incurreret vaga mendicitas; militibus vulnere invalidis, ut parte sui superstite Deo unicè viveret manca fortitudo; puellis nobilibus, sed egenis, ut pietatem omnium dotem optimam colligeret indotata Nobilitas. Qui Regem sanctissimum cum innocentissima familia, quàm ejectum regno impiè à suis, tam piè excepit hospitio; & solio restituere conatus est, dignum

## LAUDATIO FUNEBRIS. LII

gnum qui restitueretur, dignus qui restitueret; nisi dignior esset Religio, quæ eodem tempore in duobus maximis Regibus alterum pro ipsa fortiter agentem, alterum fortiter patientem haberet. Qui Pastores Ecclesiæ regendæ semper elegit, aut eligere voluit, non solum bonos, sed etiam è bonis optimos. Qui præcones divini verbi munificentia sua profecutus est in plagas Orientis ultimas, ut quo Regis fama pervenerat, eodem veri Dei gloria pertingeret, Qui ubicunque gentium Legatos habuit, ita Religionem per eos asseri voluit, ut nisi Religionis rem agerent, nihil se Regis vel Regni causa egisse intelligerent. Sed hæc aliaque beneficia à Rege liberalissimo non ommissa, ab Oratore arctiores intra limites incluso prætermittenda omninò sunt vel levissimè perstringenda. Neque vero recusandum est ea non capi orationis nostræ angustiis, quæ Galliæ finibus non contenta, in vicinas, in medias, in ultimas orbis partes redundaverunt.

Me ne autem silentio transire egregia virtutum exempla quibus Religionem LUDOVICUS illustravit? Cum enim tam regium sit nihil, quàm exemplum; nullum vero exemplum tam illustre sit, quàm regium; ut me juvet diversa Regis Christianissimi tempora animo relegere, & exemplis virtutum diversis illustratam



stratam ab eo Religionem intueri!

Illum ego vobis exhiberem in summa fortuna summè modestum; omnibus altiore hominibus, & tantò se minorem Deo gerentem; vectum triumphali curru, sed unde progressus in templum, spolia hostium, & sua tholo appenderet; sublimem in solio, sed è solio delapsus ad aras, ubi majestatem regiam coram divina majestate deponeret; accipientem laudes, non falsas, quibus vera virtus locum vix relinqueret, sed veras, quas supremo numini pietas referret; audientem supplicum preces, sed hominum, qui Regi ut homini supplicarent, quos ipse humaniter admitteret, regaliter dimitteret. Magnum illis Regibus documentum, quos rebus prosperis elatos Diis æquat superbia; quibus sit templum, aula, ara solium, consecratio laudes, invocatio preces, victima veritas, sacerdos adulatio.

Illum deinde vobis offerrem cum adversa fortuna quasi cum hoste novo compositum; neque à tristibus ad tristiora sensim delapsus, ut multos, quibus profuit antea fuisse miseros, quàm fierent miserrimi; sed à lætissimis in tristissima subito demersus, sine ullo calamitatis usu: Regem à Victoria desertum: patrem familia orbatum; Victoria in recedendo præcipitante cursum; morte in advenien-

do

LAUDATIO FUNEBRIS. 115

do corripiente gradum : ut, qui paulo ante, Lilia Gallica in hostili solo defixa longissimè prospiciebat, jam Aquilas Germanica expansis alis in Galliam advolantes proximè cerneret: ut, qui modò Reges è sobole sua utrique orbi dabat, & tribus ætatibus dare poterat, jam orbatus filio pater, nepote avus, pronepote proavus, idque ferè annum intra spatium, vix è numerosa progenie superstitem videret infantem, in quo domus inclinata recumberet.

In his tot repentinis, tam luctuosis casibus, & ruinis, quàm jucundum vobis (quoniam & in ipso luctu juvat oblata virtutis eximiæ species) quàm dignum superis hominibusque spectaculum Rex indejectus, inconcussus, immotus; neque tamen rigido septus robore, quod sensum doloris excludat, se Regem, se patrem sentit; & utroque simul nomine, Rex in patre, pater in Rege, dolet; sed Religione nixus, quæ vices ipsi rependat, quam is sustinet, quæ ipsum fulciat. Illum cerneretis erectum coram populo, ne animos ejus affligat; & demissum coram Deo, ut ferientem ejus manum adoret. Illum audiretis, non accusantem duces in bellicis cladibus, ut accusabat ille (a) Cæsar post cladem Germanicam etiam mor-

---

(a) *Sueton. in Aug.*

mortuis parcere nescius; sed unum se arguentem omnium auctorem cladum; & à regno in regium caput pœnas votis advocantem; illius exemplo regis, quem peccando secutus fuerat; quem pœnitendo sequi volebat.

Verùm ab hac imagine, quoniam immorari non vacat, deflectamus oculos: ac ne levissimis quidem aspectibus cæteras delibemus LUDOVICI virtutes, quæ, cùm ille palàm officiis Christianæ pietatis fungeretur, populos Regis admiratione, Dei reverentia defixos tenuerunt: ut qui Regem propter Deum colerent, Deum colere ab ipso Rege discerent. Illuc properet Oratio, unde animus refugit; & in eo dicendi finem faciamus, in quo Religionem maximo, sed ultimo Rex immortalitate dignus, exemplo decoravit.

Huc mentem advertite omnes ex omnibus mundi partibus Christiani Principes, & LUDOVICUM non jam fulminantem bello, non sedentem in solio, sed afflictum morbo, & in lecto jacentem intuemini; neque ab illo vincere aut regnare, sed mori discite. Quamquam sic quoque regnat, solo stratus corpore, toto erectus animo, & veluti sol nunquam visus major, quàm in occasu. Sic quoque vincit, nunquam fortior, quàm cum inermis: nunquam acrior ad pugnam, quàm cum hostis formidolosior. Vin-

## LAUDATIO FUNEBRIS. J I 5

Vincendum vitæ desiderium, quæ tum vehementissimè desiderari incipit, cum fugit: ita vincit, ut fugientem ne uno quidem gemitu vel aspectu revocet. Vincendus regni amor, qui Principibus in nascitur primus, & extremus immoritur: ita vincit, ut qui vincula exuat, non sceptrâ deponat. Vincendus corporis dolor, qui à medentibus hoc gravior infligitur, quod ab ipso doloris sensu spes salutis petitur: ita vincit, ut sensus à membris in animum transeat, ex animo in vultum non prodeat. Vincendus mortis metus, quæ tunc terret maximè, cum frigida tacito gradu venit: ita vincit, ut in armorum tumultu fervidam vicerat. Vincendus Principum, & Procerum adstantium luctus, qui jacente Rege consternati animo, solo stant mœrore fixi: vincit, & ore placidus, voce firmus, ultima aliis mandata, aliis monita, omnibus exempla dispensat.

Accede Infans Auguste, solio avito mox admovende, accede: proavi amplexus, sceptrâ, & potiora utrisque præcepta excipe. Accedit; accipit; flet; admonente natura, quid amittat; docente nondum cupiditate, quid acquirat. Flentem LUDOVICUS Deo commendat, cujus dare Regna, & servare est; commendat Gallia, quam is pro potestate reget, Galliam ipsi commendat, ut paternè regat.

Dimisso

Dimisso regno, ipsum imperii usum dimittit, antequam lucis usarum amittat; & huic tradit Principi, qui Regis pupilli nomine imperabit. Atque illum jam nunc imperare jubet; non ut addiscat, quod parendo didicit; sed ut doceat, quod ipso majus imperio est.

Dimisit omnia LUDOVICUS; sibi solus superest; & quia sibi superest, plus retinet, quàm dedit: sed neque id ipsum retinet; & quas mors exuvias auferre jam parat, illas usque sui dominus, usque religiosus, pio benevoleque animo distribuit.

Cor suum, partem sui optimam, nec toto minorem Rege, & orbe toto majorem, huic attribuit Societati, cujus in corde semper vixit, & dum vivet illa, victurus est: quæ, non dico, sua adversus parentem amantissimum observantia tanto esset digna pignore, sed quæ illo fieret indignissima si non prædicaret.

Cæteras funeris sui leges non aliter describit, quàm si pompæ triumphalis ordinem præscriberet, ante mortem sibi superstes, & de morte in ipso mortis apparatu triumphans.

Non hic ego vos appellabo, Alexandri, sciebatis vincere; non vos Augusti, sciebatis regnare; nesciebatis mori. Sola hoc docet Religio, quam non eratis edocti. Mortem sprevisistis quidem, cum  
vos

vos dejectos, & decumbentes invaderet; sed vel desperatione omnis vitæ, vel falsæ immortalitatis expectatione malè fortes. LUDOVICUS spernit, melioris vitæ spe ac desiderio pulchrè animosus. Hanc tu illi spondes tot ab eo vindicata editis, tot amplificata beneficiis, tot illustrata exemplis, prima & ultima ejus cura, Religio sancta, quæ natum in sinu tuo Regem, in complexu tuo morientem vides; & hoc uno titulo, quòd tuus moriatur. gloriantem audis.

Nos interea effusi ante aras, vota, lacrymas, animam ipsam offerimus, ut ille vivat, in quo parte nostri meliore vivimus. Quid pro se voveamus, cognoscit, & improbat. Nos acculat, quòd ipsum velimus vivere. At ipse te accusares, Rex optime, qui tuis effeceras virtutibus, ut te semper vivere vellemus. Pugnat tamen ille votis, & vincit: quòd timebamus, quòd expetebat, id obtinet; vixit.

De te non conquerimur, Deus vitæ mortisque arbiter, cum das optimos reges, laudandus; cum repetis, adorandus; de te non conquerimur: & vota nostra LUDOVICI votis cessisse patimur. Dignus erat ille, quem ad te raperes; indigni eramus, qui apud nos illum ultra retineremus. At nunc altera, quæ non pro eo, sed cum eo, apud te fundimus vota bonus excipe.

Vivat

## 118 LUDOVICI MAGNI

Vivat ille Regis maximi hæres parvulus, tam citò à Matris complexibus, à Patris exemplis, ab amoribus Avi, à Proavi præceptionibus desertus; & hæc omnia nomina in uno Patruo sibi restituta esse sentiat.

Vivat ille felix; & in spes suas, quas nondum capit; in spes nostras, quas jam facit, utrasque magnas, tempestivè adulescat.

Vivat ille diu; & eorum annos Principum accipiat, quos immatura mors regnis abstulit.


Vivat ille piè; & eorum virtutes animo comprehendat, quorum sceptram manu colligit.

Denique vivat eo Rege dignus, qui magnam ipsi animam, inter ultimos amplexus, cum Regno transmittere visus est; & LUDOVICUM XIV. LUDOVICUS XV. amet nobis nostrisque nepotibus referre magnum bello, majorem pace, Religione maximum.

D I X I.



STE.



STEPHANI  
 PETIOT  
 SOCIETATIS JESU  
 DE RUPELLA EXPUGNATA,  
 PANEGYRICUS  
 LUDOVICO XIII.

D I C T U S .

**A** Trigisti gloriae verticem,  
 REX INVICTISSIME:  
 adepta es votorum sum-  
 mam, fortunatissima Gal-  
 lia, tenes fastigium digni-  
 tatis, Christiana Religio.  
 Bellum illud aliquando confecimus, ad  
 quod unum toto saeculo communia om-  
 nium vota, privata singulorum studia,  
 publica comitorum consulta, Sacrorum  
 augusta solemnia, Regum expeditiones  
 innumeræ, multorum terra, marique  
 contentio præliorum; belli, pacisque  
 quo-



Quotidiana consilia, Republicæ demum  
 totius rationes, motus, sensus universi re-  
 forebantur; ne quis possit ambigere,  
 quin hoc uno cardine fortuna civium,  
 fors Galliæ, majestas imperii niteretur.  
 Habet superbia suos gradus: ad extremum  
 devoluitur, postquam pervenit ad pri-  
 mum: qui non novit ultrà crescere, rue-  
 re cœpit, nihilque tam propinquum est  
 casui, quàm quod est summum: cœlum  
 ipsum, quo nihil altiùs occurrit aspectui,  
 fatum expectat, & momento sæpissimè  
 perit, quod ægrè sæculum peperit. Sic  
 illa jacent tot annis fudata perduellium  
 propugnacula: dissipatæ sunt ingentes  
 illæ Britannorum classes: utrorumque  
 juncta cum extrema rerum desperatione  
 incredibilis audacia corruit; terræ, maria  
 tempestates succubuerunt fortitudini re-  
 giæ: locis demùm universis profligata.  
 Rebello, simul omnia sibi sensit præter  
 inferos esse conclusa. Quæ immensitas  
 gloriæ, naturam totam unius triumphii  
 pompa traducere, utque pauci homines  
 parere discerent, elementis omnibus im-  
 perare! Quod si adhuc aliquis ex illa  
 furiosorum hominum turba, qui huma-  
 næ fidei desertores sensim à divina defi-  
 ciunt, de æternitate hujus imperii dubi-  
 tavit, fateatur errorem suum hodie,  
 postquam illud videt perduellionis ruinis  
 impositum; fœlicique commutatione  
 factorum,

fatorum, à REGE LUDOVICO, immortalitatem regni, nominisque Gallici confirmatam: ex quo hæreticus desertor occubuit. Cui enim cœlum aut lubentiùs labore, aut gloriosius, quàm ei Principi, qui Numinis hostes evertit? Quem alium coronet ambitu sæculorum, & temporum, quàm eum, a quo tot laureis coronatur? Delubris eos coluit antiquitas, qui istis minora fecissent, & pro Diis habiti sunt apud suos, qui tecum, REX FORTISSIME, comparati, vix homines viderentur. Quot tu ergo fana, si vixisses illis temporibus, neque te ad felicitatem nostram fata servassent, quas ædes, quo numine consecrasses? Quam Religionem populis attulisses? Non cives, ut aliorum solebant, sic tuum funus expectassent, tempus illud sacrificiis occupassent, ipse vivus habitasses in templis, auxisses orbis cæremonias, & aris impositus, quibus auribus nostris nunc percipis, eisdem omnium vota gentium accepisses. Verùm tu, qui solidis abundas laudibus, hac inani superstitione non indiges. Non crescit mendacio veritas: ad superos vita, non fama nos evehit. Tuis major es incrementis, quàm fictæ religionis encomiis: mavis sublimi demissione majestatem tuam extollere, quàm abjecta superbia, & sordido fastu deprimere. Gaudes conscientia bonis, nullàquæ præ-

terea re, quàm virtute, vis cæteris emi-  
 nere mortalibus; adeoque divina cum-  
 facias, humanam sortem non erubescis.  
 Faceſſat ergo vana hæc ſpecies religionis,  
 vetat ipſa religio regis laudes ſacrilegio  
 proſequi: quàm ſunt illa deformia, quæ  
 crimine calamitantur; virtus virtute  
 laudatur, nunquam conſecratur à vitio.  
 Votis publicis oratores alii ſuorum prin-  
 cipum facta commendent, faciam ego,  
 ut intelligant univerſi, te tuis factis, REX  
 AUGUSTISSIME, vota mortalium ſu-  
 peraffe; & ſi vota univerſorum, quanto  
 magis mea unius præconia ſuperaffi?  
 Quidquid tamen de te dixerimus, dictum  
 erit magnificè, quia nihil feciſti humili-  
 ter, & demiffè: toties ampliffimè lauda-  
 beris, quoties verè, quæ geſſeris, narra-  
 buntur; rurfuſque toties vera de te audies  
 prædicari, quoties recitabuntur ampliffi-  
 ma. Ornati tu tua facta: corrupet qui  
 meliùs ornare voluerit. Mitto igitur eſſe  
 ſollicitum de cultu orationis, poſtquam  
 tantus eſt ſplendor in ipſa materia. Nar-  
 rabo ſine multo apparatu quos hoc bello  
 hoſtium populos viceris, quam rupem,  
 quam Rupellam expugnaris; quas pro-  
 cellas, & maria fregeris. Sed adhuc necel-  
 ſe eſt ſcire, quod dicendi initium, quem  
 modum facere debeam: non quod laudes  
 tuas, quæ ſunt immenſæ, credam ullis  
 terminis deſiniri poſſe: ſed ne infinita  
 fiat

fiat oratio, si in proferendis tuis trophæis velim ire per singula. Sequar igitur in scribendo ordinem agendi tuum, & cum magnitudinem hostis, quem oppressisti, demonstravero, tum pugnae genus exponam, seriemque victoriae.

Hostis erat vincendus ille, qui suo propterea ingenio semper elatus, nunc certe longo virium suarum usu, & fortitudinis experimento, supra modum tumidus, certior sibi semper de victoria, quam de prælio videbatur. Erat communis omnium sensus, Rupellam temeritate, & audacia tentari posse; nulla arte, aut machinis capi posse: quæ hinc arduis quidem propugnaculis, fossa præcipiti, pendenti vallo, continuato aggere, lenta palude, molitione multiplici inclusa esset; illinc verò latissimo, altissimoque freto munita, cui projectæ turres incumberent, & obicerentur portæ, transversis cratibus, horrenti ferro, armatis navibus, feralibus tormentis, ineluctabili catena vallatæ: adè multiplici carcere debuit, antequam moreretur, includi rebellio; quæ se virtute tueri non potuit, debuit machinis, & quæ sita munitione defendere. Quot dementia vallis indigent! seipsam innocentia sine custode tutatur: impietas nullo arcium munimento secura est. Mediis soluta Rupella vivebat in vinculis; semper pavida, quia semper rea; semper de

præsidio sollicita, quia conscientia sceleris semper obsessa. Accedebat vis annonæ incredibilis, vini, frumentique numerus ingens, apparatus denique rerum omnium toto sæculo meditatus: Nimirum omnia sibi necessaria timor putat. Præsto erat exercitus in Occitania, reliqui signo dato in castra venturi, palam, & publicè dicebantur. Subsidiarum præterea opportunitates innumeræ, robur Angliæ conjuratæ, præsidiarius miles erat intra mœnia receptus, ut pugnarent exteri, cives sine periculo triumpharent. Non obscura erant jurata sociorum auxilia, & cæterorum hæreticorum variis locis factiones: petebatur hæreseos caput: quisque manum objectabat. Procerum etiam quorundam, ut rumor tulit, enormes conjurationes celebrabantur: illius nefariæ societatis tabulæ, perduelliumque sicariorum adscripta funesto catalogo nomina circumferebantur: confœderatorum dignitas (si in proditione patriæ aliqua dignitas esse potest) famam, nomenque sceleribus colligebat: quem deterrebat atrocitas facti, facientis auctoritas invitabat. Imensas quasdam habet vires ad persuadendum nobilitas generis. Speciosa sunt crimina, quæ in purpura nutriuntur. Ad hæc infinitis bellorum sumptibus Regis exhaustum erat ærarium, nobis tum classis nulla, quadre-

drirèmes jampridem dimissæ, caritas annonæ hoc tempore summa, frugum interitus, urgens fames, grassantes morbi, pestis locis omnibus multa. Malos premebamus, malis obruti; obsidebamus paucos, omnes obsessi: vix licebat vivere, & vincere volebamus. Augebat infinitè superbiam hostium longa belli experientia; quippe qui non solum olim sæpè, modò cum Anglis, modò cum Batavis, partim cum Hispanis, partim cum Lusitanis conflixissent: sed & nuper Regis classem tum oceani, tum mediterranei maris copiis instructissimam duobus præliis fortiter sustinuisent. Quis in tanto apparatu Rupellæ sensus? Eò devenerat impudentissima civitas, ut dudum cæteris gentibus cladis metum inferre, regum purpuram, leges, & oracula conculcare. Reipublicæ succum, & sanguinem exhaurire, cædes, & incendia circumjectis regionibus, & agris oblicere, antiquas Drusiaci prælii, Dionysiaci, Jarnacensis, Moncontoriique tragædias renovare facilè possent. Tantum erat in impudentia roboris, tantum virtutis in scelere! Rupella reginam agebat imperare docta, quæ nunquam parère didicerat: administrabat omnia summà auctoritate, cœtus provinciales indicebat, publica comitia convocabat, militem tum domesticum, tum externum conscribe-

bat, provincias, præfecturasque dividebat, jus cudendæ monetæ sibi arrogabat, inurebat sigillo, ferebat edicta, imperabat pecunias, portoria exigebat, in omnia demùm tyrannico dominatu invadebat, ut incertum videri posset, plusne Regi per auctoritatem, an subdito per crimen, auduciamque liceret. Horrebat immaniter Rupes ista, celsàque fronte crescebat in dies, ut ponderosius rueret; periculis superbiam animabat, erigebatur denunciatione bellorum, vel ipsa sanguinis specie pascebatur; discernere videbatur illi triumphum, quicumque prælium indicebat; majorque persuasione, quam robore, numquam cessabat ab injuria, ne causæ bellorum interirent; scelus alebat quotidie, ut vel crimine prælia nascerentur. Quis tandem hanc arrogantiam, hos spiritus frangeret? nescit timere, quæ tanta sperat: nescit cadere tot victoriis instituta. Ubi periculum, inquit, si nolero periclitari? ubi hostis, si ipsa mihi non fuero inimica? Didici vincendo quid possim. Sic plena sui Rupella, se impudenti ore jactabat.

Movebat illud nos quidem, cum nobiscum funus istud domesticum viveret, pœnè tamen vetabamur fatèri dolorem nostrum, miserixque majoris metu, vix licebat in communi miseria vultum portare fortunæ. Sedebat enim in regni visceribus

scribis virus illud, quod sine miserabili pectoris totius laceratione non poterat evomi; quodque nisi evomeretur, Respublica non poterat conservari. Oppresserunt Pannonas Hunii, Græcos Turcæ, Italos Ostrogothi, Hispanos Visigothi, Syrios, & Aegyptios Saraceni, sed illorum immanitas cum rebellium hæreticorum furore comparata, humanitas dici posset. Ferebamus jugum Franci, quæque cæterarum gentium servis dat Gallia libertatem, ipsa servitutem à subditis quodammodo tolerabat, adeo probrum illud imperii, nec ferri poterat, nec auferri. Quid? Non desperat propterea Carolus IX. sed anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo colligit totum robur imperii, floremque nobilitatis, conscribit numerosum exercitum, vim tormentorum maximam rotat, immensos sumptus facit, Ducem Andegavensem, copiis præficit, qui illo bello Rex Poloniæ electus, fælici sceptrorum ordine, venerandum Henricorum nomen, & ferriem aucturus erat; & ab Sarmatico illo tyrocinio major venturus ad Galliæ principatum. Is Rupellam advolat, castrametatur, copias explicat, urbem vallat, Pro tempora, quam me labem refricare coegistis! Erat in armis pro rege, regis ipsius frater, Dux præstantissimus: arma Rex Navarræ conjunxerat, Henricus ille



nondum magnus, qui & ipse foeliciter  
 successit in regnum: aderant viri Prin-  
 cipes Condæus, Contynus, Duces Mon-  
 tispenferii, Gufii, Aumalæ, Niver-  
 nenses, Longavillæi; Bullionii, aliique  
 toto regno Proceres infiniti; accurrerat  
 ex mandato regio fortiffimus ille Biro  
 cum cohortibus octodecim, turmis equi-  
 tum feptem, machinis muralibus unde-  
 cim. Quid præterea? Quinquaginta mil-  
 libus armatorum Rupellenses obsiden-  
 tur: tormentis fehexaginta nulla intermif-  
 fione murum quatientibus urbs oppu-  
 gnatur, parte alia fuffoditur, alia quas-  
 fatur: fit labes ingens, & à vetufto ur-  
 bis fonte ad Evangelii propugnaculum,  
 quod vocant, mænia lacerantur: Turris  
 Cognienfis à fundamentis evertitur, no-  
 vies in urbem irrumpitur, novies Ru-  
 pella collata in unum omnium figna fu-  
 ftinet. Quid tandem? Cecidit in irritum  
 totus ille quàm magnus fuerat appara-  
 tus, ftetit Rupella nondum benè degu-  
 ftata, fufæ obsidentium copiæ, mutilati  
 non pauci, trucidati innumeri, obtrita  
 prima acies, lacerata proxima, territa,  
 diffipataque poftrema, viri principes  
 multi miferabiliter cæfi, miffa è tormen-  
 to pila Dux Aumalæ interfectus, Dux  
 ipfe Andegavenfis penè illa clade impli-  
 catus, nifi excuffum in illum plumbum,  
 fidelis armiger nomine Vinfius, interje-  
 cto

cto corpore recepisset, ac demum undecim millia nostrorum, calamitosa strage deleta. O rupem hominibus inaccessam! O formidabilem hostem! O inexpugnabilem civitatem! Qui pugnantium cumuli! sed qui tumuli sepulcorum! accesserunt innumeri, facile fuit numerare qui recesserunt. O rupes! O clades! O funera! Illa tamen Rupella, rupes illa, ille victor populus, populus ille tot ferè palmarum, quot capitum, tibi, LUDOVICE, relinquitur debellandus. Hic habes Cannas Hannibal, hic Actium Auguste, hic Ciliciam Alexander, hic Carthaginem Scipio, hic Pharsaliam Cæsar. Accedant recentes omnes expugnatores arcium, & ampullati rerum gestarum amplificatores, suas expeditiones conferant cum obsidione Rupellæ. Verrucam jactant, unum scilicet terræ jugerum. *De quo quis viso dicere possit, ubi est?* Ostendam suam ostentant, illudne receptaculum paucorum de navi hominum, & exilium piscatorum? Rhodum insulam memorant, sed interceptam, & Christianorum Principum auxilio destitutam: Juliodunum afferunt, sed vasto muro-rum ambitu difficile ad tuendum: Melitam prædicant, sed belli casibus superiorem: Viennam loquuntur, sed inexpugnabilem Solimano: Metas celebrant, verè metas, quas antiquo opere malè

munitas Carolus tamen Quintus centum armatorum millibus fretus, non potuit transgredi. Nos Rupellam dicimus expugnatam à LUDOVICO, cæteris omnibus insuperabilem: Rupellam, inquam, non vastam amplitudine, non desertam infrequentia, non pressam angustiis, non rudi defensionem milite, sed in regni finibus sitam, confœderatis gentibus finitimam, omnibus belli præsiidiis opportunam, veteri quidem, sed multo magis recenti munitione formidandam: cujus portus non sit accersitus, fossæque quaesitus, ut Antuerpiæ: non incommodus, & difficilis, ut Iccius: non periculosus, ut Ostendæ: non vastus, ut Gratiaë sinus: sed tum loci natura, tum arte omni firmatus, ut incertum esset plus naturæ deberet, an arti, dum ars naturam superasse, natura nullum arti locum reliquisse videretur. Tantus nimirum esse debuit, qui ad arma Regem tantum adigeret; alteri enim sit invictus necesse est, quemcunque LUDOVICUS oppugnat: qui cæterorum ducum desperationem in victoriam vertit, & per acervatos confectorum hostium cumulos, suorum currus agit triumphorum.

Metuenda quidem erat difficultas cingendæ civitatis, procellosissima præsertim anni tempestate: timendus hostilis exercitus, qui aderat è regione Rupellæ

Anglus

Anglus ille mari cedere nescius, infinitis navalibus præliis, victoriisque superbus: moram fecisset alteri locus ipse, qui stagnanti palude simul infalubris, atque subsidens, solus obsessuris erat relictus: occurrebat ingenium accolarum, quorum maxima pars, ut erat hæresis labe corrupta, ob ipsam quoque viciniam, poterat esse suspecta: commovebant omnes, prisca tum externorum, tum civium nostrorum historiæ, qui tot; tamquam numerosis exercitibus instructi, toties frustra cum Rupella contenderant. Videbat Rex ipse rebellium horrea cumulari expilatorum populorum comœntu, spolia provinciarum in urbem quotidie comportari, quodque gravius erat, non uno prælio rem posse confici, sed locum, stagna, paludes, æstuaria, turbines, imbres, procellas, terras, maria, desperatosque rebelles esse ante superandos, quàm Rupella potiretur. O difficultates immensas! ò inextricabiles series præliorum, laboresque perpetuos! Quem non ista moles rerum oppressisses, quæ Regis animum omnibus difficultatibus celsiorem erexit? An putatis hoc aspectu negotiorum, bellorumque nexibus esse commotum? Audite quæ dixerit, dicturi sæculis quæ audistis. Ibo, inquit, ibo majoribus meis major, & nobile posteris argumentum: tulit superior ætas,

quod sequutura non feret; pereant, aut  
 pareant quos Deus nostro subjecit impe-  
 rio; ad pedes cadat, qui mecum ad ma-  
 nus venerit, & infœlix congressu, nobi-  
 litetur interitu. Hæc oracula lituis, &  
 buccina commutavit, conclamatum est  
 ad arma, contractus exercitus Rex ipse  
 nondùm è gravi morbo receptus, cum  
 lectissima nobilitate fudit se Parisiis,  
 militem rapuit, Rupellam advolavit,  
 tenuit, cinxit, perdidit. In quo quid  
 primùm nos mirari jubes, Imperator,  
 exordium belli, an exitum? celeritatem  
 adventus, an constantiam obsidionis?  
 hostis audaciam, an fortitudinem tuam?  
 utrumque certè stupore dignissimum,  
 nisi quòd teneor promissi reus, & necesse  
 videtur seriem recitare totius belli,  
 cujus difficultatem exposui: nos satis,  
 superque hostis audivit, te videat ali-  
 quando: gaudeat Rupella de robore,  
 dùm te intueamur hoc altero orationis  
 loco, de illius contumacia triumphan-  
 tem.

Erat, ut diximus, concisus æstuariis  
 locus, in quo uno castrametari Rex po-  
 terat, paludes interiectæ admodum in-  
 falubres, cœlum crassum, solum lubri-  
 cum, stagnum mutum. Proh superi,  
 per quot bella, ad unum bellum est ven-  
 tum! Quoties certatum est, ut semel  
 certare liceret! Stagna oppugnâvimus  
 pri-

primum , antequam procellas expugnaremus ; hæsit in palude nostræ militiæ rudimentum , ut in Oceano victoria tota consisteret . Solum arrisit disciplinæ , cœlum affulsit victoriæ , locus ipse visus est dedisse locum virtuti . Castra montibus vallaverit Hannibal , Tamerlanes in urbis modum ædificavit , Attila militaribus pellibus obruerit , sarcinis Græci , curribus Germani , testudine Romani se texerint : tu , Rex inclyte , qui nolebas suffurari victoriam , in aperto campo sedisti : In hac , inquam , æquata planitie , noster explicatur exercitus , ut hostis implicaretur : Inferuntur signa , ne latèrec adventus , urbs ex itinere salvatur , adeo expetebatur . Dum hæc geruntur , miles fortiri , vultu perduellem , terrere gestu , spe ipsa diripere . Nutasti , credo , furiosa rebellio , cum te foris LUDOVICI JUSTITIA , domi conscientia sceleris obsideret : impalluisti quæ ruborem amiseras , nunquam alba magis ( quippe te urbem Albam prædicas ) quàm cum alba Imperii Lilia suspexisti . Sed quò à Rege discessimus ? immo verò quò Rex discessit à nobis ? Avolavit celeritate victoriæ , en jam toto Rupellæ ambitu semajestas illa diffudit . Virtus nullis limitibus continetur , sed impatiens claustris , ultrò se jactat , sui nominis , & numinis explicatrix . Parum fuerat scilicet labore

re .

re superasse loci naturam, nisi artem victor noster ingenio superaret. Toto igitur continenti propugnacula, jubet excitari, aggeres extrui, vallum duci, triumque leucarum circuitu, Rupellam fossis juxtà, & interpositis statiunculis, ad communicationem armorum circumscribi. Sequuta est Ducis imperium celeritas operis inusitata: hic vallum ferre, ille cæmenta convehere, lapidesque portare, palum alius defigere, alius humum egerere, cespitem moliri tectum, fingere, inducere, cumulare, exaggerare; sui quisque gradus oblivisci, dignitatem labore metiri, meritum opere: major ille prædicari qui actuosior, ille præfici qui plus aliquid perfecisset, pro se quisque demum contendere, ne illo laboris certamine vinceretur. Addebas interim fatigatis alacritatem, humanis. PRINCEPS, omnium onera vultu portabas, laborem nutibus sublevabas, opus laudibus compensabas. Quid extulistis tantoperæ, prisca monumenta, Dionysium, quod sexaginta millia operarum exerceret, cum mœnibus areas Syracusanas ambibat? Quid Neronem Historici, quod humeris corbem ferret, cum Isthmum Corinthiorum perfodiebat? Quid Caracallam, Annales, quod semper laboris initium faceret, cum in castris agebat? Quid Manuelem Comnenum, Græci, quod

saxa

saxa veheret, cùm Dorylæum renovabat? Quid Constantinum, Romani, quòd terram foderet, cùm magnificentissimi templi fundamenta jaciebat? LUDOVICUM habent Galli, qui singulis militibus adlaboret, tantùm ipse conficiens operis, quantum imperet universis: architectus in opere, miles in vallo, dux in agmine, ubique Augustus. Sed, ut video, dedignaris hanc laudem, sapientissime REX. Tua tantùm esse putas, quæ tecum nullus alius fecerit: mavis ferre virtutis, quàm laboris encomium, illa in te egregia, hic tibi communis cum milite fuit. Pugnaverat Imperator ingeniosa compositione castrorum, reliquum erat, ut disciplina, & ordine militiæ triumpharet; scripsit ergo militibus suis eas leges, quæ ut sibi scriberentur contendere ipsi debuissent; docuitque priùs vincere morum integritate, quàm firmitate nervorum. Et quidem quisquis in hæreticos pugnaturus est, debet virtute, quàm manu certare validiùs. O novam bellorum faciem, nouumque genus oppugnationis! hætenus creditum erat perverso, & præposito præliorum usu, bellum sine cæde, sine facinore, sine contumelia numinis, geri vix posse; sed ex quo nostrum militem vidimus à cruore, à libidine, à convicio tam alienum, credi cœpit inter



ter ipse arma, locum esse virtuti, scelusque non stipendiarium esse belli, sed voluntarium administrum arbitrii. Quid quod totum exercitum concolori veste donavit, ut qui corporis cultu similes essent, solo animorum ornatu distinguerentur, & quantum alii bombyce, & purpura nitere amant, tantum ipsi virtute cæteris eminent: Ibant olim milites in aurea veste sub Antiocho, in picta chlamide sub Sertorio, in purpura sub Cleomene, in expolitis armis sub Cæsare, in rubenti sagulo sub Artaxerxe, in candenti tunica sub Cyro, in scuto puniceo sub Agesilao, in fibulatis auro caligis sub Aureliano, in amictu argentea cruce signato sub Constantino. Jerunt nostri sub LUDOVICO, in veste non ad delicias molli, non ad pompam ambitiosa, sed ad militare robur, & pugnam accincta; Ferro, non auro miles indiget: bellum ardore geritur, non nitore.

Interea dum vestem militum contemplamur, nudata est suis arboribus, vitibus, hortis, segete, sepibus tota, quæ ad Rupellam est planities, distributus in classes, & manipulos exercitus, defixa signa, obtentæ pelles, substructa longo ambitu propugnacula duodecim inter se fossis continuata; dispositæ ex intervallo, vigilibus, & excubitoribus stationes descri-

scriptione multiplici, rotundæ, quadratæ, extantes, depressæ, projectæ, subductæ, lunatæ, cyclicæ, hemicyclæ, triquetra, quadrangulares, variæ: perduellis denique civitas omni à terra aditu prohibetur, cavendum est tantum, ne evadat Oceano. Nondum, ut fatear, qua parte vastissimo sinu alluitur, conclusa erat, sed adhuc sedebat in portu, quia portum nondum classe tenebamus; quamvis enim ex utroque littore fortissima castella obiicerentur, unde multa uno ordine tormenta in navigia detonarent, pervium tamen erat mare, & facile ultro citroque commercium. Quis hanc Rupellensi eripiat facultatem? Venerant quidem in suppetias exteri, ut hostem ab insulis nostris expellerent, sed serius appulerunt, sive quod graviore navis ducerent, sive quod obsessam insulam (quam Ream esse omnes intelligunt) unus LUDOVICUS JUSTUS posset absolvere. Etsi verò nostra felicitas invadit illis victoriæ gloriam, hoc tamen fortissimi judicandi sunt, quod soli mare tenuerint, quod eos non expectaverit Anglus, quod nullus obstiterit, & qui tardius venissent, prius vicerint hostem, quàm viderint; est inexpertis temerè in negotia ruere: lentè festinare, sapientis. At, dum ista præsidia moras trahunt, tenet Oceanum Rupellensis, eripienda sunt

sunt ille maris effugia. Huc agite vestros myoparones, minutissimosque pontones Armorici, huc scaphulas, & lembulos Aquitani; hæc aphractula, & actuariola Cantabri: plus Gallus poterit in liburnis, quàm in rotundis, & constratis navibus Anglus. Ita factum est, non sine omnium stupore, navigiosis lembulis, myoparunculis, vectariolis, celocibus, celetibusque cursoriis mare tenuit LUDOVICUS annum ipsum pugnare paratus, si hostem is animus habuisset. Quis credat epibadibus cataphractas, lintribus rostratas Britannorum classes sustineri potuisse? Fuerit illud ad fortitudinis specimen, erit quod sequitur ad terrorem.

Non satis erat classibus insultasse, nisi insuper insultasset Oceano; machinatus est igitur aliquid, quod homines satis mirari non possent, ipsa maria pertimescerent. Intelligitis quòd mea spectat oratio, jamque suspicitis ædificatum in æquore vallum illud, carceribus frænatos impetus indomiti hæctenus pelagi, ne rebelles à jugo se liberos fortè putarent, ubi mare libertatem amitteret. Quis posterorum cum legerit, humano consilio factum putet? Quis perduellium cum viderit neget pelagus justitiæ stipendiis militasse? Quis barbarorum cum acceperit, testes oculos non adhibere volet ad fidem?

fidem? Illi ipsi, qui quotidie videbant formidabiles illas moles, qui pedibus calcabant, qui militares in illis excubias agebant, suis sensibus non credentes, eò laborabant persuasione pertingere, quò Regis fortitudo pervenit. Jacienda moles erat, quæ totum sustineret Oceanum, nec ventorum quassata turbinibus, nec fluctuum assultibus verberata, nec æstus inundationibus superfusa, obrutaque titubaret. Pii principis erat hoc patrare miraculum, nemo id si maximè vellent, præstare potuit, præter LUDOVICUM XIII. qui primus voluit, quod potuit solus. Mare impatiens operis videbatur, nisi immensi laboris patientia victum esset; disceretque per gradus subigi, & sævientis freti inclementia imperioso fræno coerceri. Unius numinis est mutare sedes elementorum, æternosque rerum cursus obice temporario sistere: paret Deo natura omnium parens, cæteris hominibus imperat. Summa erat altitudo maris, sed altius adhuc Regis ingenium; rapidus vortex, sed stabile consilium Ducis: dubii casus, sed certus, & constans militis animus; varii undequaque metus, sed una omnium spes facilius esse nostro Principi, quæ vellet efficere, quàm quæ efficeret, velle, qui rerum successus sua voluntate definiens, etsi majora quàm cæteri omnes, fecisset in Gallia, fecerat tamen

tamen semper minora , & minora viribus suis. Quid? Jaci capit illius prodigii rudimentum qua parte fretum erat angustius , satis longo tamen intervallo ab urbe distitum , ne si remotius esset , architectorum laborem vinceret profunditas. alvei : si vicinius , labore hostium vinceretur , & noceret propinquitas teli. Principio igitur defixæ sunt ad continentem futuram struem parte omni trabes ingentes , aliæ transversæ , & decussatæ , ut demissos lapides ingeniosis quasi brachiis amplecterentur : erectæ aliæ , ut primos impetus frangerent : undas supercilio deterrent : quædam in quadrum ductæ , commissæque quadrando , stabiliendoque operi . quædam in propedem , talumque projectæ , ut illa machinarum declivitate , mollique dejectu clementius fluctus exciperentur , ipsosque inoffensos inoffensa molitio refunderet pelago. Ingesta subinde generis omnis saburra , maxima vis lapidum temerè jacta in profundum , superaddita cumulo prægrandia pondera , nondùm tamen oppleri potuit barathrum , sed dum helluatur accepta , novis pabulis inhiat , quin ponderibus attollitur , effunditur , & amplificatur in vinculis ; insaturabilis , nempe quædam est fames , inexplebilis alveus , & alvus Oceani , parte omni fauces aperit , quæ pabulum objeceris , hæc vorabit , & saturitate

ritate voracitatem accendet. Quis illius intemperantiæ modus sit, & finis difficultatum? opposita quidem fluctus eluētabantur repagula, sed adhuc soluta machinatio sine compagibus erat, sine commissura, sine cæmento, suis tantum librata, firmataque ponderibus: hiabat malè materiatus murus, aquas transmittens; conferti sine ordine lapides; cum fluctibus volvebantur, & trahebantur in præceps: temeraria demum; & indigesta illa substructio, nullo nixa fundamento, hosti risus ciebat, metum afferebat militi, animos addebat Regi, qui malit cum natura luctari, quàm cum fortuna triumphare. Neque verò diu stetit sine nexu fabrica, sed seipsas aquæ prodiderunt, quæ dum se in rimas saxorum insinuant, & crudum parietem interluentes tentant inconditam laxare compagem, secum cœnosam uliginem convectabant, & luto quovis glutine tenaciori congeriem aridam officiosè adstringebant: pervium murum repererant, sed aquis succedentibus limo incrustatum relinquebant: transibant fluctus nunquam redituri; & rimas implebant, qui labes facturi videbantur immanes. Quid porro? Hactenus successerat labor, sed (ut fert natura magnorum operum) difficultas crescebat in manibus, & quæ fuerat initio maxima, major erat in progressu:  
Etc.

Etenim quò magis ab utroque littore molitio recedebat, hòc gurges altior erat, & quemlibet aggerem vasta vorago sorbebat avidiùs, ætus ipse turbulentiùs agebatur, infana fluctuum volumina medio alveo atrociùs bacchabantur, noſtraque repagula quaſi ſibilis explodebant, mugitibus indignabantur. Jam deficiebat materia, qua tam ingens charybdis impleretur, & niſi latomiæ fuiſſent ſupra quàm credi poteſt uberes, & fœcundæ, periculum erat ne lapidum penuria fabrica noſtra penderet, ſed tam dives vena fuit, ut ipſa ſaxa ſub manum, ferrumque ſuboleſcere viderentur, cædum eſſe dixiſſes lapidum nemus, quod depaſtum ſylveſceret, grandeſceret imminutum: Hac tam fertili, & copioſa officina fretus, maturare cæpit Imperator obſidionem aquarum, lapidicinas recentes aperiri jubet, novas rupes exſcindi, omni contentione opus urgeri, conferri fragmina montium, ſylvas adhuc ingeri, totas terras undis inferri, glebas ſaxis, ſaxa aggere, aggerem nemore, nemus ſcopulis, ſcopulos montibus acervari, obviam igitur materiam pro ſe quiſque rapere, molaria pondera in mare volvere, terræ penetralibus pelagis viscera ſaburrare, elementum elemento confundere. Stetit illa tandem vaſta; operoſaque ſubſtructio, veluti porticus toto emi-

nens

nens pelago, continenti ordine fabricæ, nisi quòd in medio salo apertus erat tollerabilis aditus, ne omninò maria desperarent. Nolebas enim prohibere, REX PRUDENTISSIME, ne fluctus laberentur ulterius, sed cohibere rebellionem, ne iterum elabi posset; duxisti quippe ab utroque littore molitionem directam, sed medio alveo pendere jussisti abruptum opus, aggeremque continuare noluisti, ut omnes intelligerent, non quantum posses, sed quantum velles fecisse te, qui poteras æstum frænare, quia jussisses, cui viam faceres quàm volebas: Iter undis reliquisti, ut rupto muro contumacem urbem cumulati fluctus invadentes, pergerent ad rebelles tuæ fortitudinis nuntii, spumantique fremitu loquerentur, quàm ægrè, sinuosè que transissent: Quamquam enim medio moles hiaret Oceano, defendebas tamen intervallum illud, multiplici lignearum machinarum ordine, & hinc quidem quàm se mare latiùs aperit, longa serie candelabrorum, ut vocant, naufragiis prælucebas: Inde verò quàm itur in urbem, demersis onerariis, junctoque navium inædicatarum rudente, hiatum incluseras, ut nullus accederet, qui firmitatem operis non probaret, ibique fortior esse videreris, ubi vel robur muri defecisset. Sic mare navibus, fræno, machinis, obice, milite, ponderibus



bustenuisti. O convulsos cardines rerum!  
 O domitas naturæ vires! O humana mi-  
 racula! Hæsit in lubrico firmissima mo-  
 les! Non fluctuavit imposita fluctibus!  
 Vortices fregit ipsa non fragilis: ruentis  
 pelagi fremitus audiit statio surda, quæ  
 dum obluctatur Oceano, argumentum  
 furoris est hostis, & exemplum constan-  
 tiæ militi. O nunquam audita prodigia!  
 Stant aquæ! Fluctus ipsi pendent! credo  
 admiratione librati, contra natant ter-  
 ræ, non nutant tamen, sed in naufragio  
 portum tenent: Nostri milites pedibus  
 ire, quæ nulla præcessit exemplo, nulla  
 sequutura sit ætas ingenio, tormenta ra-  
 pere quæ vortice rapitur unda citatior!  
 excitare tempestates in sicco! portum in  
 tempestatibus collocare! ignes in aquis  
 accendere! terris maria sociare! Est adhuc  
 in ista oppugnatione, quod plura quàm  
 expectaremus, regem perfecisse miremur,  
 nec illis similem extitisse qui nihil detre-  
 ctent, dum nihil impleant operis. Satis  
 erat nobis, si superioribus annis præten-  
 di freto catena ferrea potuisset, quæ ma-  
 ris commercio interdiceret hostibus; ut  
 autem Rex tot onerarias in mare demer-  
 geret: ut tot muralibus machinis, mis-  
 silibusque littus utrumque defenderet: ut tra-  
 bes illas solidissimas nexis capitibus exci-  
 taret: ut crudo aggere, glebisque structili-  
 bus tam firmum luctamen procellis obii-  
 ceret:

ut super his molibus, fluctuantique vallo suum armamentarium collocaret : ut sine classe, classem Anglorum, classem undarum, classem turbinum retardaret, nullus ausu esset optare, Rex solus votis omnibus major, resstantibus licet Aquilonibus, & contra nitentibus frustra tempestatibus perficere potuit. Quoties enim procellas infremuisse putandum est, & immanes aquarum moles nostris molibus opposuisse? Ut canes, sic fluctus objectis lapidibus adlatrabant : mortu invadabant, sed inani : Irruebant odio turbulenti, recedebant metu exalbescentes, & spumei, viso hoste timidi, qui ante pugnam tumidi ferebantur. Alii repulsam iniquè ferentes, immani se supercilio tollere, vallum saltu transmissuri : alii verso in succedentes undas furore, eas vorticibus absorbere, tardare, & fugare se invicem, ut postremum agmen in bello sisti, fugarique solet, cum fractum primum occurrit : illi fluere acrius, & toties victi, toties rebelles, renovare conflictum ; Isti demùm despondentes animo, se victrici moli submittere, & timore in reverentiam mutato libare oscula, blandisque illapsibus adulari. Scio multis olim fluminibus impositos pontes, & sæpe calcatam à magnis imperatoribus aquarum esse superbiam, sed hi omnes aut in opere statim, aut brevi

ab opere corruerunt. Junxit Hellesponti quondam angustias connexa classe celebris ille Persarum ductor, sed quid factum illud habet miraculi, cum hæc sit nativa classium sedes? Simili navium con- tabulatione Bajanum sinum stravit tertius ab Augusto Imperator, sed utrum majus videtur, puppes intulisse, vel terras Oceano? Fecit in Munda flumine Julius Cæsar strage cadaverum aggerem, sed ipsi fluctus mutavere colorem suum, illum obicem erubescences. Adiit quoque Tyrum Alexander navigabili ponte juncturus insulam continenti, sed diu fluctuavit illud opus sine fundamento, idque semel hostis incendit, non semel æstus abripuit: Legimus etiam saxeis pilis castigatam à Trajano, & Constantino Danubij, Rhenique ferociam, sed arduum non est fluviis silentibus insultare. Aquas Bajas ad Arvernum lacum deducere tentavit Nero, sed hoc potius conducti fossoris inventum est, quàm Romani Imperatoris, qui tantillo tamen negotio victus, opus abjecit. Uni quippe LUDOVICO concessum est ex omnibus hominibus, non accrescere rivos, non fossas ducere, non aquas avertere, non pontes jungere, non naves copulare, non paludes exhaurire ( in quo quæ potest esse tanta victoria? ) sed ipsos fluctus quàm spurci sunt, maria quàm procellosa, tempestates

pestates quàm turbulentæ, obice factò concludere. Velit fortasse in laudis istius partem Maximianus Imperator accedere, quem Rhetor Belga nescio quis, Galliarum urbem portu insignem oppugnaturum, defixis in sinus aditu trabibus, faxisque ingestis, invium navibus locum reddidisse commemorat; at illa claustra (ut ejusdem rhetoris verbis utar) qui primus insilvit æstus, irrupit; totaque hæc objecta fluctibus moles, quasi signo dato, ac peracta statione dilapsa est. Ne fas est autem simile quidpiam de nostri Principis opere suspicari: ibit miraculum istud ad posteros, seseque ferent immortalis fronte nostra repagula, fortiora procellis omnibus, ipsoque profundo profundiora. Optarint majores nostri, ut istud aliquando fieret, quod ipsi facere nequiverunt: scient nepotes fieri posse, quod factum est: furoris sui terminum invenerit pelagus, terminus hic terminum non habebit: monumenta fient, postquam claustra esse desierint: pœnas qui viuunt rebelles sentient, qui venturi sunt aliquando, pertimescent: docebitur omnis ætas sponte verti elementa, ut rebellionem evertant, ruere fluctus, ut hæreticos obruant, qui pati noluerint Regis Imperium, quod mare sustinuit.

Sed parco prædicare victoriam, quandiu cum hoste pugnatur: Ecce enim An-

glus turbat adhuc : quantum superiorâ bello ad Ream insulam imminutus est viribus, tantum crevit audacia, superbus dum corrui, animosus dum multatur. Nondum se à proxima clade receperat, cum victorijs nostris institutus ad prælium tentavit semel atque iterum nostras vires primò facta excursione, tum simulato impetu conatus perrumpere magis repagula. O Stolidum, & Abderitam! quasi cum firmissimo muro, cum numerosissimo exercitu, cum potentissimo Rege, illum sustinere non possemus, cujus classem antea sine navibus fregeramus, Quanquam ut video, furore rebellium ad istam impudentiam animatus est. Erexerunt enim pro muris, proditores patriæ Rupellenses, vexilla Britanica, ò infamiam! victos, victi ipsi vocarunt in auxilium, ò demenciam! Lutheranos Calvinistæ! Cives exteros! Galli Anglos! ò desperationem ultimam! Ea vos signa sustulisse (nefarii desertores) quæ recens nostro militi ludibrio fuerant! scilicet illa vos oportuit explicare, tum ut Barbarorum esse, non Francorum illud scelus ostenderetis, tum ut Rex noster duos hostes uno bello conficeret : sic enim visus est eodem tempore Gallos in Anglia, Anglos in Gallia vincere Venit fulminaster Anglus, sterit in conspectu citra iectum tamen, quia ferire noluit, sed aspici : profecta

pecta nostra mole hæsit attonitus , illæ  
 suos milites aditum inventuros non credi-  
 dit , quæ vix ipsi fluctus viam haberent ,  
 ratus oclusum esse navibus mare ; patere  
 naufragiis . Explicate tandem Britanni  
 consilium vestrum , quæ causa adventus  
 fuit ? quæ tam diuturnæ moræ ? quis arca-  
 num illud aperiat ? Advolastis celerrimè ,  
 diutissimè stetistis in anchoris : vela ex-  
 plicuistis , animos contraxistis : signa mul-  
 ta , signifer nullus apparuit : Leopardos  
 vidimus in vexillo , lepores experti sumus  
 in prælio : quàm similes vobis , Angli , quàm  
 vestris navibus dissimiles extitistis ! vos  
 animo pumiliones , illæ coagmentatione  
 proceræ , hoc solùm habuistis cum illis  
 simile , quòd illæ tardæ ad motum erant ,  
 vos ad prælium tardiores . Ænigma fuit  
 adventus vester , planè ducendi fuerant di-  
 vinatores qui solverent . Alii non nauma-  
 chiam , sed Bacchicam expeditionem esse  
 dicebant vino Aquitanico metuendam , in  
 qua plus meri fundendum esset , quàm san-  
 guinis : Alii visendæ obsidionis , alii oran-  
 dæ veniæ gratia , nemo prælii causa venisse  
 suspicabatur . Qui semel fractus est hostis  
 contemnitur , non timetur : ac nisi prædo-  
 nes in nostras insulas emisissetis , dubitare  
 potuimus , essetne hominibus vacua classis  
 vestra , quæ in Oceano velut in mari mor-  
 tuo iners , & otiosa consisteret . Puduit  
 illos tandem ignaviæ suæ : reverti in An-  
 gliam

giam sine vulnere noluerunt, facturi plagi-  
 fidem audaciæ. Quis eos fortes puta-  
 ret, nisi provocante hoste pugnassent? Quis  
 cum Gallis crederet contendisse, nisi vul-  
 nerati redirent? Simulachrum ergo exhi-  
 buere prælii, quod ut magnum non fue-  
 rit, fuit tamen honorificum nobis, Ru-  
 pellensibus, Britannisque fatale: deduxere  
 naves in aciem, explicuere vexilla, machi-  
 nas disposuerunt. Gratulari sibi tam bea-  
 tam diem milites nostri, se victores dice-  
 re, ex quo pugnare liceret, increpare tar-  
 ditatem hostium, votis occupare confi-  
 ctum, equites lictus tueri, pedites molem:  
 alii Rupellensibus opponi, qui exciperent  
 erupturos: alii ad Anglos præmitti, qui  
 segnes irritarent. Quid? Lacesitus Anglus  
 celoces incendiarias ipse frigidus in nos  
 misit: signum dedit buccina, sed receptu:  
 tonitrus tormentorum edidit, quanquam  
 non surdi eramus ad prælium: fragore pu-  
 gnavit, & sibilo, sed contra ventos: bom-  
 bus fuit præterea nihil. Tormenta audivi-  
 mus, non sensimus: ignes aspeximus, sed  
 fatuos: fumum vidimus, sed qui nobis  
 splendorem afferret, hosti eliceret lachry-  
 mas ardebamus animo, dum pice, sulphu-  
 reque lucebat: lucebamus in armis, dum  
 Andabata pugnabat in tenebris. Quid tu  
 interea, LUDOVICE? Qua diligentia si-  
 mulanti pugnam Anglo occurristi? qua  
 prudentia tot naufragos ignes avertisti?

Qua

Qua providentia terra, marique legiones instruxisti? Quam aptè librari machinas, quàm opportunè displodi imperasti? Quàm unus fuisti, quàm multiplex? Quàm diversus in uno, quàm unus in omnibus, cùm simul Anglos lacefferes, simul Rupellenses obsideres, simul de utrisque triumphares? Ecquem verò nobis de tua salute metum injectum putas, cùm tot periculis caput obiiceres, & tuo capite salus totius Gallix verteretur? Meminimus militi speculam tibi editam molienti, unde citrà periculum periclitantes videres, iratum imperasse te opus illud còtinuò destrui, cùmque omnes à te deprecarentur periculum, addidisse: Nolle te æstimari de milite, nec per quæ triumpharent cæteri, vincere: sed per quæ ipse vincerès, cæteros in otio triumphare. O si animus ille pugnasset! quæ argumenta dedisset historiæ? Sed qui hunc ardorem aspexit, incendium timuit, imò tuo unius conspectu subactus hostis recessit in fluctus, ne si appulisset, pateretur in terra naufragium.

Quid ad hæc fœdissimus Rupellensis, toto mari prohibitus, terris omnibus depulsus, orbe conclusus angusto, & orbe exclusus universo? quas restes jugulis attemperabat? quas in mari voragines ad præcipitium vestigabat? Imminebant urbi per gyrum duodecim horrenda propugnacula, quæ terrèrent aspectu, fulmini-



bus tererent : cernebantur tumulis impossita longis suspectibus speculæ : ardui fossarum anfractus descensu ipso difficiles , ascensu insuperabiles occurrebant ; videbant inclusi perduelles enormia sibi quotidie parari ergastula , stataria castra dies lætos in pellibus ducere , dispositas esse omni parte excubias : obiicebantur pro lorica castrorum munitiones lunatæ , cæmentitiæ gerræ , crudæ opere cespitio substruções , calæ subterraneæ , valla protuberantiæ : Patebant liliata Galliæ signa , quæ vel suo candore perstringerent rebellium oculos : succedebant sibi majori portento , quàm fide continuata miracula . Præterea nulli accessus , nisi ad pugnam , nulli exitus , nisi ad exitium ; nulla colloquia , nisi ad deditioem faciendam ; miles undique , & undique miles arcem fossa , fossam vallum , vallum speculæ speculas statio , stationem desperatio , desperationem furca uno mortis tenore , ordineque fatorum excipiebat : tenebantur denique fossis , aggere , vallo , ferro , cuneis , agmine , quid facerent ? sed hæc tantùm mali præludia . Accedebat ultima fames , telum quo nullum est in bello crudelius , quia simul ignavè , & atrociter perimit . Jam commeatus omnis erat absumptus ; herbarum fibris solati erant inedia ; radices in hortis , mures in rutis cæsis domorum , canum , equorumque morticina  
 defe-

defecerant in stabulis : frixum, elixumque atro jure corium, & maceratas ocreas devorant : lethales venenorum succos in cibum verterant ; in deliciis erat cicuta, auro toxica vendebantur. citra pretium erat quod citra horrorem dici non potest, difficilius erat vivere, quàm perire, & in funesto illo mortis, vitæq; confinio, nec vivere licebat, nec mori. Nihil tam præsens quàm fatum, nihil tam remotum erat : longa tabe longiora crimina multabantur : vita trahebatur ambage malorum, & multiplicatis funeribus multiplicabatur in pœnam : mors denique cum vita consenserat, illa ut votum, hæc ut supplicium fieret. Tam miserè hæretici viuunt, cam ægrè rebelles intereunt. Reptabant in compitis homines strigosi, macilenti, capulares, sine carne pelles, exanguia filicernia, tenues umbræ, imitationesque vivorum, pallida morti exordia, inanes corporum folles, ossium malè congesta compago, continuati ossibus nervi, vacui ventres, & queruli : viri, non jam viri, sed ferales hominum larvæ. Malè ominosus erat occurfus civium, crescebat mutuo aspectu calamitas, dum quisque legit exaratam in alterius fronte capitis sui sententiam, & tanquam in mortis speculo, imminenti funeris imaginem intuetur : alter alteri mestum divinæ ultionis fiebat exemplum. Se morti occurrisse putabat, qui in

fratrem inciderat: omnes longa macie torridi videbantur, multati reorum vultus, cadaverosæ frontes, recedentes oculi, confutæ genæ, jejuna labia, otiosi dentes, & longi, subductum mentum, hiantes fauces, & aridæ. Digni erant tali jejunio juniorum nostrorum irrisores. Quid plura? Vel ipsa mors visa est laborasse fame, ita ventre insaturabili omnes helluabatur in urbe: funeribus funera cumulabantur: mors desierat esse terrori Civibus, quam usu quotidiano, domesticâque consuetudine familiarem habebant: timore sublato, desperatio succedebat: calcabantur temerè, & sine horrore mortuorum acervi: non lugebant aliorum mortem, qui suam expectabant: nihil filius patris obitu movebatur, quia naturam fortuna mutaverat. Unum omnium votum perire citò; metus longiùs vivere; solatium quam plurimos socios mali futuros. Projecta jacebant intereà in sepulchralibus viis sine sepulchro cadavera, & nuda humo, nuda ossa voluebantur: cælo tegebantur corpora, quorum animæ apud inferos flammabantur: domus in sepulchra transierant, tamen erant omnes insepulti, nulli qui efferrent aderant, soli occurrebant qui efferrentur: hæredes morientibus nulli, nihil ipsis etiam vermibus jure funerum relinquebatur: qui bonis succederet nullus erat, malis universi succedebant. Prætereà dicebatur

cebatur receptos Anglos eo venisse furoris, ut vel cruentis hominum artibus pascerentur : ferales nescio quas matres, quo effuderant utero, eodem filios recepisse : alios corpus suum aluisse minuendo : inventum esse puerum qui famem crudis demortui fratris carnibus satiaret : salita esse distractorum quorundam militum membra, similiaque voracitatis portenta occultè memorabantur. Rupella denique in carnarium versa erat : veros Tydæos, & Menalippos, renovatas Busiridis aras, furiosaque Diomedis præsepia videbamus. Nulla in urbe salus : quot cives, tot Sandapilarii, tot Massagetum popæ, tot carnivori Cyclopes, tot esse funesti carnifices credebantur. Hic amissum filium in mortuorum acervo quasi publico spoliario quærere; hic enectum fame abiicere; hic discerptum, & laniatum suspicari. Omnes denique plus caninam libidinem dentium, quàm mortem ipsam, famemque timere : Quid, inquam, facerent? In restim rei summa redierat; sola supererat obseffo, aut clementia principis, sed noluit experiri: aut proprii ferri voluntarius rigor, sed clam perire non meruit. Ubi grandes illi spiritus, quibus nostros exercitus difflare posse credebatis Hæretici? Ubi folles illi minarum, magnificæque verborum pompæ? Ubi supercilium illud, cui tantæ victoriæ, tantæ-

que tragediæ nitebantur? O rerum conversiones! ò improvisam calamitatem, tantis tamen criminibus debitam! ò famem! ò furorem! ò lanienam! Fidem jam habeo Annalibus, cum Cambyfis exercitum referunt eò fame fuisse compulsum, ut decimus quisque miles fortitò mactaretur, ferculum inhumanum futurus. Non inficior eò venisse calamitatis Romanos, cum obsiderentur ab Alarico, ut in Circensibus ab Honorio Imperatore flagitarent, humanæ carni pretium poneret: Non nego Cassilinos eò angustiarum redigi potuisse, ut apud illos mus ducentis nummis unus venierit, cum Hannibal immineret: Non revoco in dubium Calageritanorum inediam, qui ne in Pompeii manus venirent, uxores suas, liberosque sale condierunt ad pabulum; Non duarum mulierum illarum furorem, quæ Romæ, oppugnante urbem Vitige, septem supra decem milites jugulatos devorarunt: Non Judæorum decantatam illam cladem, qui absumptis denique omnibus, ad sterquilinia, cœnumque conversi sunt. Fidem horum omnium facit Rupellensis calamitas. Saguntinam, Perusinam; Meliæam, Constantinopolitanam, Lydiam, Hyerosolimitanam, Potidæam famem datur aliis legere, nobis datur intueri, dum Rupellensem videmus. Negotiosus interim in otio miles noster habitabat in tecto, sine armis præliabatur,

urbem

## LUDOVICO XIII. 157

urbem obsidebat oculis, ludens vallabat, pacem alebat hoc bello, bellum hac pace cōficiēbat, relinquebat hosti moriendi spatium: Quanquam eos perire noluisti, Clementissime Princeps, qui spontē perierunt, ne tuo beneficio viverent: perditos ita perdidisti, ut ultrā sāvire non possent, neque tamen ita sāvisti, ut omninō perderentur: Iratus es illis, ne diutiūs furerent: latissimo ambitu conclusisti, ne premerentur: vallasti, ut custodires: custodisti sine cæde, ut ipsi sua spontē cederent; fecisti denique sine invidia sanguinis, quod à me dictum sine invidia mendacii nulla postea natio credet: Prædicabitis posterī bellicosam illam quietem, & pacem expugnatricem, dum agros sanguine naufragos, terras cædibus crubescētes, exhaustas habitatore provincias, fluvios mactato cadavere retardatos, famosasque laniena victorias duces barbari prædicabunt. Sunt illa gladii lucra, non sceptri: furoris irritamenta, non belli præsidia: virtute, non crimine bella geruntur: cruore victor impotens, clementia moderatus vincit. Ergo noster Imperator pace maluit incruenta, quàm funesta palma potiri, maluit vincere, quàm necare.

Non te movet hæc pietas, desperata Rebellio? Resistis adhuc tot fracta virtutibus? Cede, Rupella, cede clementiæ, nisi parveris cessura justitiæ: Vive Regi, vel morere tandiu rea, quandiu clausa: tam improba, quàm

quàm heretica : disce occūbere cum pudore, quę sine fronte vixisti: disce cadere, quę toties cecidisti. Anglus desperat, Soubisius exulat, Rohannus tenetur, mare concluditur: omnia te ad exitium rapiūt, fames enecat, Rex obsidet, conscientia exanimat, quid dubitas? Pone superbiam metas, pone modum audacię. Restitisti rebellis, cedendum est principi. Cessit, portas aperuit, Regem accepit. Triumphate Galli, **LUDOVICUS** superavit: fortitudini regię ignava superbia, pietati perfidia, pertinacia necessitati succubuit. Iminebat hyems, absumptus erat omnis commeatus; reditum parabat in Angliam tam sæpe fractus Britannus. Accedebat in dies ad regia castra voluntarius miles: exaggerebatur magis magisque moles in Oceano: audiebantur in urbe miserabiles morientium voces, muliebres ejulatus, clamores inconditi, tristisque vagitus projectorum infantium: populabatur urbem totam cum ulatis funeribus fames: cives ad viginti millia extrema in media interierant, nihil intererat hostem acciperet Rupella, an retineret: grassabatur peior omni malo desperantis militis immanitas: omnia sibi licita putabat furor publicus, ubique dabantur funestę tragedię: citius sepulchra quàm domos, cadauera, quàm homines invenisses: mors locis omnibus occurrebat. Proh funestum, tragicumque spectaculum! Tandem Rupella  
tot

tôt oppugnata calamitatibus, expugnata est; submisit se principi, triumphatorem admisit. O nobilem, ac fortunatam victoriam! ò triumphum nulla ætate silendum! Quo Aquitania pondere, quo opprobrio Gallia, qua peste Religio liberaris! Annum obsidio tenuit, victoria sæculis omnibus permanebit: Viveret typis Rupella, quæ criminibus occidit: sibi perierit, posteris non peribit: corruiet nostro tempore, æternitati stabit. Hùc stylum, hùc nobiles curas Historici. Narrate populis rebellium funus daturum immortalitatem historiæ: fatū nesciēt scripta, quæ fatum hoc ferent. Quātus accedet splendor annalibus, cū reverendis ducum nostrorum nominibus augebuntur, & populorum exempla fiēt memorabilia facta Gallorū? Attollet se in mediis historiæ monūentis sereno vultu, etate vegeta, egregia dignitate DOMINUS Regis frater, qui multò plus, quàm ceteri omnes, letatus est ob bellum illud confectum, cui fœlix ipse initium dederat: ardebat ille quidem conficere opus tā arduum, sed illud intellexit unius Regis fœlicitati, ac fortitudini reservatum. Et quidem argumentari possumus ex tam beatis exordiis, quid facturus fuisset in progressu, & vel ex hac una expeditione cōiicere, quæ Regis fuerit de optimo fratre opinio; summæ quippe difficultatis est, magnis rebus dare principia, & peritissimi architecti jacere ingentis fabricæ fundamentum.



ſtamenta. Eminet præterea immortalis  
 caractere Henrici Borbonii, Condeſ principis  
 inclytum nomen, qui cum Regis curas  
 externis ſimul & civilibus bellis diviſas eſſe  
 videret, ejuſdem auſpiciis profectus eſt in  
 Galliam Narbonenſem, & belli, gloriaeque  
 ſocio celeberrimo illo duce Moſorancio,  
 cujus quot hoſtes, tot victoriae memoran-  
 tur, reſſit fortiter conjuratos hæreticos,  
 ſigniferum factionis obſedit. Montem Re-  
 gium, Fanum Severi, Caſtronouum, Calnã,  
 Braſſacem, Creſſelium, Caſtrum urbem, &  
 Mezametæ vallis pentapolim occupavit:  
 cepit ad triginta quæ urbes, quæ caſtella re-  
 bellium, quodque ſuperat admirationem,  
 triduo Apamiam illam ampliſſimam, mu-  
 nitiffimamque civitatem expugnavit: quã-  
 tum denique Rex imperavit, tantum im-  
 plevit, ut hoſtes intelligerent, nihil princi-  
 pum viribus, nihil Regum imperiis eſſe diffi-  
 cile. Tum ſublimiſe vultu efferet poſterita-  
 ti venerandus Cardinalis Ricchellæus, qui  
 virtute quàm nomine ditior, cum cæteri  
 manu, ferroque rem gererent, exemplo cõ-  
 ſilioque pugnabat; incomparabili vir inge-  
 nio, ſingulari prudentia, pietate ſpectabili.  
 Habuerint ſanè conſpicuos Pontifices ma-  
 jores noſtri, non invideo dum unus ſit in-  
 ſtar omnium Ricchellæus. Oppoſuit olim  
 Italia ſuum tyrannum Ægidium pudentiſſi-  
 mum antiſtitem, Gallia Turpinum Sarra-  
 cenis, Hiſpania Ximenem Mauris, Aquita-  
 nia

nia Geraldum Lemovicensem Anglis, Bohemia Joannem Pragensem Hussitis, Hungaria Gregorium Martinusium Ferdinando, Dania Abialonem Londesium Slavis, Germania Huldricum Hungaris: unum deinceps nostra tempora, omnibus opponent hæreticis Richellæum. Neque verò hic stabit cursus Annalium, quia non stetit hic animus & fortitudo Gallorum. Legentur quoque cum admiratione Caroli Valesii ducis Engolismensis præclare facta, qui cum Rupellæ admovisset exercitum, ante Regis adventum urbem cinxit, & jamdiu emeritus, de Gallia tamen benè mereri non desit laborem labore continuans belli principio junxit exitum, perpetuum hosti, vel otio certamen indixit, etiam cum cessaret occupatus. Stuporem præsertim legentibus afferes, Schomberge præstantissime, cujus incredibilis ad bellum animus, mihi quoque addit animū ad dicendum. Sed ferro stylum, manu ingenium vincis, sive enim te procellosissimo mari credis, cymba vectus, exigua, & turbines, tempestates, naufragia classes hostiles, mortem eluctatus ad obsesas insulas penetras: Sive cum parva militum manu confertas Britannorum copias, & præsidia fundis, majora quædam homine facere videris, & nos quasi miraculis quibusdam opprimere. Venies etiam in partē laudis Marilliacæ, qui venisti in partem laboris: scient ventura tempora, quos hostes  
 ad

ad Ream fregeris, quæ pericula adieris ;  
 quæ Galliæ trophæa crexeris. Tuque, Tho-  
 rasi invictissime, quem dudum gestio no-  
 minare, tu quandiu manebunt literæ (ma-  
 nebunt autem perpetuò) tandiu vindex pa-  
 triæ, hæreticæ ultor audaciæ, Dux citra  
 invidiam maximus uno omnium ore præ-  
 dicaberis. Esto Reæ insulæ propugnacula  
 evertantur, stabunt tuæ gloriæ monumen-  
 ta : neque verò poterat tanta virtus loco  
 tam angusto contineri, cui laudis campus  
 parabatur immensus. Vigebunt denique  
 memoriâ sæculorum omnium cæteri no-  
 biles Galli, quorum animis et si defuerint  
 hostes, nullo tamen tempore defuturæ  
 sunt laudes. Objecit illis Rex maria, sine  
 navibus transmiserunt : Anglos opposuit,  
 continuò profligarunt : molem in æpore  
 fieri imperavit, Oceani altitudinem cu-  
 mularunt. Quis hostes constantius expe-  
 ctavit ? Quis fortius excepit ? Quis celerius  
 occupavit ? Quis invasit audacius ? Quis  
 animosius fudit ? Mirabuntur exteræ na-  
 tiones, stupebunt posteri, Religio trium-  
 phabit. Discunt hæc miracula pueri, ju-  
 venes recitabunt, viri conabunt imitari,  
 senes narrare gaudebunt, ætas nulla com-  
 mendare desinet. Pictor vel ipsa tantarum  
 rerum umbra suas tabulas illustrabit. Scul-  
 ptor victorias illas durabit in marmore :  
 mirabitur eloquentiam Orator hujus  
 unius argumenti magnitudine superari ;  
 Poeta,

Poeta, cui hæc solida suppetent, cessabit inania prodigia fingere: Dabitur demum omnibus prædicare quæ pauci fecerint, paucis facere quæ prædicent universi. O te ergo non tuorum minus, quàm tua ipsius virtute fœlicem! TER MAXIME LUDOVICÈ. Tuis enim triumphis, quanta sunt ista, quàmque præclara ducum facinora militant, qui ut majora fecerint quàm ausi essemus optare, quoties tamen in te unum intuentur, fatentur ultrò se infinitis gradibus minora fecisse, quàm ipse exemplo fieri posse docueris. Universi demum rapiuntur in tuas unius laudes, & cum à nobis alium audiunt commendari, percontari solent, Regemne viderimus? Tum in manus sumpto radio hæc Rupellam describunt, & ducto orbe concludunt, illac maria derivant, isthac objectam molem edificant, ordine castra componunt, aciem terra, marique instruunt, Anglos procul ostendunt, ac demum te singulis locis miracula dividenter exprimunt. LUDOVICUS, inquit, idem in vallo, idem in agmine, idem in classe, idem in aggere, idem locis omnibus adest, pugnat, triumphat, quæ cum recitant, attonito auditore vallantur, quisque gaudet vel ipsa videre tuæ simulachra victoriæ.

QUID superest, nisi ut te superesse velimus imperio Ludovice? Addant vitæ tuæ superi annos, quos patriæ reddidisti: dent

LU.

LUDOVICO sempiternum imperium ; reddant sempiternum imperio LUDOVICUM. Vivat nobis, vivat posteris, vivat omnibus; ferat vitam, quam rebelles amiserunt ; aut si nobis debetur hères aliquis tantę virtutis, det Rex optimus sobolem se optimo meliorem, ne quis unquam succedat in regnum, qui non ejus virtuti successerit. Quicumque deinceps venturi sunt ad imperium Gallię (venturi sunt autem, quos ex te Rex dederis) meminerint qualis in Imperio fueris: nec aliud quàm Ludovici nomen ferant, dum virtutibus impleant nomen illud Augustum, quod virtuti consecravit antiquitas, posteritas consecrabit eternitati. Toties placebit, quoties recitabitur nomen illud cum liliis, & palmis natum: nomen venerandum, semper antiquum semper novum. Nullus sit finis LUDOVICORUM. Jam quid à nobis exigis INVICTISSIME PRINCEPS, qui tibi totum deberi intelligis, quod possumus? Gratias referam? sed laudatoris munus suscepi: Laudem? sed agendę sunt gratię, & quamvis feceris, quę ab omnibus prædicari debeant, effecisti tamen, ne quis ea prædicare posset, quia non minori virtute nostra præconia superasti, quàm claustra rebellium. Utinam toties victor, saltem semel triumphares. O si mos ille vigeret adhuc, quo solemnibus pompa victores portabantur in urbem, quantus foret Impera-

LUDOVICO XIII. 165

peratoris nostri triumphus? Quæ gentium acclamationes? Quæ monumēta victoriarum? Iret ante currū depresso collo, subiectis cervicibus, subactō vultu condemnata rebellio: currum traherent simul victi, simul victi cum Rupellensibus Angli, frontibus famulari jugo conjunctis: succederent agmina vitiorum uno simul omnia loro devincta, cæsaque flagello virtutum! Hic tractus sonanti compede livor ringeret: fremeret audacia sine telo: jaceret arrogantia sine supercilio; morderet invidia sine dente; debaccharetur impietas sine voce, mæsta hæresis sine viribus agmen clauderet. Qui plausus interea, quæ in te laudes à circumfufis militibus conferrentur? Tu Benarnus, tu Cisalpinus, tu Transalpinus, tu Aquitanicus, tu Britannicus, tu Gallia dignior, tu Patre fœlicior, tu Henrico Magno major LUDOVICUS, festis vocibus dicereris. Splendidi prætereà tituli, laureati lemnisci, sublimes imagines præferrentur. Ebore redderetur infœlix Rupella pretio majori; quàm merito; viverent adhuc in adamante, quos in campo jugulasti, cælatura, quàm vita nobiliores. Topaziis; & amethystis splendorem adderent virtutum tuarum inculpta miracula; emereret in auro sublime propugnaculum Ludoviceum: asurgerent juxta in argento Aureliacense, Marilliacense, cæteraque tam nunc pretioso, quàm antea presso molimine firma-

menta ; præirent de conjuratorum manibus extorta signa superbię, toties victi Bukincamii simulachrum ferream domito collo catenam trahens, pedibus, manibusque revinctis, splendidum fieret pompe ludibrium. Nectare spumaret artefactus oceanus, vallo non jam cæspitio, sed adamantino circumclusus, lapillorum obicibus ambrosii fluctus alliderentur, imbres gemmeos frangeret moles in auro, erudito labore sudata. Alii denique LUDOVICO ponerent obeliscos, ut Cæsostri : alii columnas erigerent, ut Trajano : tabulas illi figerent, ut Alexandro : arcus isti flecterent, ut Constantino : Pyramides quidam excitarent, ut Nino : quidam currus jungerent, ut Cæsaribus : plurimi statuas erigerent, ut victoribus innumeris. Sic LUDOVICE JUSTISSIME triumphares. Quanquam, ut fatear, hæc minora sunt meritis, neque ulla reperiri possunt emblemata, quibus tanta Majestas exequetur. Non obelisci in metam efformati, Regis gloria metas nescit : non columnę quę deorsum basi nituntur, cęlo nomen illius innititur : non tabulę quę pigmentis collucent, virtus ista factis non coloribus illustratur : non arcus qui curvantur, atq; flectuntur, recta hic disciplina militis, inflexa constantia ducis : non Pyramides quę puncto terminantur, LUDOVICI

victoriæ terminos nullos agnoscent: non  
 currus qui præterlabuntur, non præteri-  
 bit hoc factum: non statuæ demum quæ  
 obmutescunt, tanta prodigia non sile-  
 bunt. Triumphasti de ingeniis hominum,  
 qui cum se impares rebus tuis omnibus  
 exornandis agnoscant, in earum singulis  
 singuli partibus occupabuntur. Neque  
 verò propterea, ulla erit in iisdem factis  
 enarrandis similitudo dictorum, sed in  
 una victoria omnes variè triumphabunt.  
 Quia tantum unus effecisti quantum uni-  
 versi laudare possint. Dicent alii pieta-  
 tem illam spectabilem qua exercitui præ-  
 lucebas: alii foelicitatem scribent, qua to-  
 ties vincebas, quoties prodibas in aciem:  
 alii prudentiam in consiliis celebrabunt;  
 alii fortitudinem in factis extollent; mul-  
 tis conclusus, & subjugatus oceanus;  
 multis merfus, & prothigatus Anglus,  
 omnibus Rupellæ fames, & funus occur-  
 ret. Jam quàm copiosa dicendæ vis ex  
 fossis castrensibus eruetur? quàm arduam  
 suggerent illa propugnacula? quàm su-  
 blimem religio? quàm longam obsidio-  
 nis in fracta constantia? quàm magnificam  
 tuus in urbem ingressus? Omnes postre-  
 mò mirari poterunt se dixisse, quod alio-  
 rum nullus attulerit, pauciora tamen ab  
 universis esse comprehensa, quàm unus  
 fecerit LUDOVICUS. Tuum est estimare,  
 Rex præstantissime, cum tuis laudi-  
 bus



bus non sufficient universi, num venia dignus videar, si de te paucissima dixerim. Fors erit ( siquidem opera nostra placuerit ) ut aliquando majora audeam. Perge modo perduellionis reliquias insequi, perge busta illa patrię, nostris malis inflammata, nostris diu conservata cineribus, aut dissipare consilio, aut cęde, sanguineque restinguere. Compede desperatio, non gratia cohibetur. Et sanę si multare pergis beneficiis perduelles, periculum est, ne pręmiis invitati quamplurimi, addantur numero desertorum, pluresque tandem hostes quàm cives sis habiturus. Memineris te esse JUSTUM. Justitia pœnas, & pręmia dividit: nunc pœnam beneficio sustinet, nunc gratiam pœnis, suppliciiisque commutat. Age, age, pauciora restant quàm feceris, & tamen nimis multa supersunt: ægre virtutes, facilè vitia propagantur. O quando licebit dicere: Omnino vicimus: Nullus rebellis tota Gallia superest: nullum grassatur bellum civile: nullus inter nos vivit hereticus. Licebit certè, licebit aliquando, licebit brevi. Hoc omnes optamus, Hoc Christianus orbis expectat. Hoc propitium Numen continentibus, testatissimisque miraculis pollicetur.

● FINIS.









